DISSERTATIO MEDICA PATHOLOGICA INAUGURALIS DE DIAGNOSI, PROGNOSI, ET CAUSIS MORTIS, IN FEBRIBUS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

LUDOVICI CASPARI VALCKENAER,

LINGUAE GRAECAE, ET HISTORIAE PATRIAE PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, & *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

GULIELMUS BLACK,

HIBERNUS.

Ad diem XX. *Martii* MDCCLXXI. *H. L. Q. S.*

Λέγειν τὰ προγινόμενα, γινώσκειν τὰ παρέοντα, προλέγειν τὰ ἐσόμενα, μελετᾶν ταῦτα. HIPPOCR.

Atque hæc, ut ego arbitror, veteres rerum eventis magis emoniti, quam ratione ducti, probaverunt. CICERO.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud THEODORUM HAAK, 1771.

E R R A T A.

Pag.	10.	lin.	15.	producere	*pro*	producere poſſit.
——	21.	——	22.	inſenſiſſimæ	——	inſenſiſſimæ
——	22.	——	14.	vera	——	vero.
——	44.	——	24.	cognitionis	——	cogitationis
——	45.	——	37.	Hippocraſtes	——	Hippocrates.

&c. &c. &c.

33 - 4 - febrem - febrem Nervosam

For

Dr Syms ——

Dungannon

From

[illegible]

The Author ——

PATRI CHARISSIMO

JOSEPHO BLACK,

ARMIGERO, PROPTER INNUMERA BENEFICIA QUÆ A PATRE OPTIMO ACCIPERE POTUIT FILIUS: ÆTERNUM VENERANDO, AMORE ET OBSEQUIO PROSEQUENDO.

NEC NON

ROBERTO SCOTT,

APUD CIVITATEM ARMAGH IN HIBERNIA CHIRURGO; VIRO INTEGRITATE NON VULGARI CONSPICUO, ET IN ARTIS PROPRIÆ FELICI AC PRUDENTI EXERCITIO NEMINI SECUNDO; QUO AUSPICE ARTEM MEDICAM INGRESSUS EST, ET CUJUS CONSILIORUM AC AMICITIÆ IN HORUM STUDIORUM TYROCINIO COLLATORUM NON INGRATUS RECORDATUR.

AMICIS VERE DIGNISSIMIS ET CONTERRANEIS, IN CURSU ACADEMICO MEDICINALI EDINBURGI CONFECTO, QUONDAM SOCIIS.

SAMUELI EVANS,
GULIELMO BARRETT.
TIMOTHEO KIRBY.

ARMIGERIS; VIRIS IN ARTIBUS HUMANIORIBUS ADMODUM VERSATIS, ET INGENUA MORUM PROBITATE ORNATIS.

Hiſce ſtudiorum & laborum primitiis; Devotionis & Amicitiæ Teſtimonium publicum ponere voluit debuitque

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA PATHOLOGICA INAUGURALIS

DE

DIAGNOSI PROGNOSI ET CAUSIS MORTIS IN FEBRIBUS.

Inter partes quæ artem medicam perficiunt, ea quæ morbos diſtinguere, futuros prænoſcere, ægrotorumque ſalutem aut exitium antea prævidere docet, nec minus quo tempore hæc futura, & quibus viis efficiuntur, maxime utilem & laudabilem ſeſe præbet, atque hominem prædictionibus, quaſi oraculis, divinis honoribus, & admiratione dignum reddit: quibus etiam propter vaticinationes medicos dignatos fuere, apud veteres non deſunt exempla. Hæc non minus medicis, quam Ægrotis, emolumenti plurimum affert, & apprime etiam ſcitu neceſſaria eſt; quum in ea, quod ad medendi rationem attineat, totus rei cardo vertitur, & ſine qua trunca & debilis eſſet; quippe quæ medico morborum naturam detegit, perinde ac Imperatori hoſtium inſidias; & ea arte cognitis indiciis, quæ nos

vel ſpe conſolentur, vel metu terreant, prævisis etiam Symptomatis quibus ægroti ſunt vexandi: intempeſtivo medicamentorum uſu, utiles Naturæ progreſſus non impedit, ſeu cum Symptomata exitium indicant, morbo facilius medicamentis occurritur, & ex quibus Morborum natura probe cognita, ac perſpecta, curatio qualis recte profitura ſit intelligit. Quinetiam maxime juvat in morbis acutis exitialibusque, qui præcognitam ægrotantium mortem futuram, ubi aſſidentibus enunciaverint, mortis culpa plane vacare ſolent, ægrotosque, audito prognoſtico, non Medicorum culpa, ſed Morborum viribus interemptos, aſſidentes judicant, quod alioquin ipſorum negligentiæ aut ignorantiæ adſcriberent.

Ad hos morbos univerſaliſſimos placandos, quorum rara fortuna contingit, ullum hominem expertem vivere, imo & paucos absque febre mori. Romani trepido metu commoti fanum dicabant, & non inepte cecinit Poœta

Poſt ignem æthereа domo
Subductum, Macies & nova febrium
Terris incubuit cohors.

HORATIUS.

In hac igitur parte quæ artis medicæ fundamentum ſtruit, operam ſedulo navare conabor, ut quantum patietur tenuitas noſtra, ſymbolum aliquod quale quale, in ærarium commune contribuam: medicis veteribus, ac recentioribus quibus explorata ſunt ea in quæ progredimur, ducibus memet ſæpiſſime tutatus. Hic labor, hoc opus in quod memet nunc demergo: munus profecto graviſſimum ſuſcepi, quod forſitan ferre recuſent humeri: ars enim eſt longa, occaſio præceps, ſed utcunque audere non dedecet, & tyrocinio venia favorque concedetur. Tentandum ideo, & cum pugna ſit adeo difficilis, ſi victoria defecerimus nequaquam mirandum.

Sed cum in nullius verba jurare addicti ſumus, errores

res licet antiquiſſimos deſerere nullatenus inhoneſtum arbitrabimur, ſi veritas ſuaſerit, cum optime novimus, quod humanum ſit errare, nam ut ſeneca recte monuit, dum unusquisque mavult credere quam judicare, verſat nos & præcipitat traditus per manus error: progrediens non qua eundum eſt, ſed qua itur.

Idcirco tamen, ne brevis eſſe laborans obſcurus fiam, nonnulla de febribus in genere ſunt dicenda; quoniam his præmiſſis, cætera quibus hæc methodus inveſtigetur clarius eluceſcant: & quorum cognitio quantum ad rem conducat, poſterius liquido conſtabit.

Principio igitur, uti eam ſerio aggrediar, ex univerſo propoſitum hocce conſtituere voluerim. Quemadmodum ſenſus motusque officia, quæ tot tantasque Æconomiæ animalis functiones complectuntur, a ſyſtemate nervoſo primordia ducunt, ita legum ejusdem cognitionem ſtudioſam in æconomia generali, & officiis peculiaribus introſpiciendis, ex neceſſario momenti fore maximi oportere: ſic Medicorum inter principes Cl. Hoffman ſæpius inculcat.

A Boerhaavio immortali his utente verbis initium duco, „ Quo magis magisque cogito, de febribus intermittentibus, eo magis video veram eſſe ſententiam quam Borellus propoſuit, quod ſcil. febris intermittentis cauſa hæreat in genere nervoſo ".

Cel. Gaubius, Whyttius, & Baro van Swieten, quoque hanc opinionem a Borello primo introductam, poſtea vero ab Hoffmanno plenius evolutam, deſponſaverunt; ſed genus ejusdem nullatenus adhuc luculenter enodatur. Sententia popularis nunc fere ab omnibus adſcita, ſpasmum in arteriolis extremis pollentem ſtimulos creare, & cordis, arteriarumque actionem excitare & augere; quæ univerſim ab omnibus ſalutis reſtituendæ modus neceſſarius & conditio febris præcipua habetur; & hunc ſpasmum ſolvere, eſſe morbi ſanationem ſeu ſolutionem. Hoc autumant Hoffmannus & pediſſequi: Et ſat fuiſſet argumenti, ſi, poſt intermittentis ſpasmi ſolutionem, ab

impetu aucto, rurſum Paroxiſmus recedivus non foret: ſed in perſpicuo eſt; labem aliquam in habitu latitare, & Paroxiſmorum renovationi occaſionem præbere.

Cum hæc per multa volumina, perque magnæ contentionis diſputationes a medicis tractata ſunt, ſubjiciendum eſt, quæ proxima vero videri poſſunt, media quodammodo inter diverſas ſententias, quod in pluribus contentionibus deprehendere licet, ſine ambitione verum ſcrutantibus, ut in hac ipſa re. Neceſſe eſt igitur ut ulterius progrediamur, & hujusce ſpasmi rationem indagare conemur.

Priusquam autem, ad hoc problema momentoſum extricandum procedamus, argumenta quædam noſologica conſtituere, & diſputationis limites circumſcribere, & ordinate diſponere perlubenter voluerimus. Supervacuum foret, aliquid Noſologiæ utilitati commendationis attribuere; cum tantis eam laudibus dignam exiſtimaverunt viri tot illuſtres, Syd. Gaub. Bagliv. Boerhaav. Sauv. Linn. Vogel &c.

Diviſionibus omnibus ſyſtematicis objiciendum ſit, utcunque diviſionem a Cl. Culleno nuper editam ſequi arriſit ex eo fonte plurima utilia hauſi.

Febres ſub claſſe unica generali, in qua aliquid inter ſe commune habent, contineri poſſunt.

Errori tamen facilem hîc occaſionem præbet ingens numerus Symptomatum quo febris plerumque ſtipatur & ſine quibus tamen febris eſſe poteſt: ut ille vitetur, opus erit ex infinitis illa Phænomena ſola eligere, quæ omni febre ſemper adſunt, quorumque cognita præſentia omnes medicos docet febrem adeſſe, quorum abſentia judicant hominem a febre immunem eſſe. *Boerhaav.* Hæcce Claſſis ſupradicta apud Nos *Pyrexia* nuncupatur, & ſic accurate definitur: Poſt horrorem pulſus frequens, viribus artuum imminutis. Sub hac claſſe ordines quinque ſeſe offerunt: 1°. Febres ſtrictius dictæ; nam ordo hicce ſub ſignificatione accuratiori quam pyrexia accipitur. 2°. Phlegmaſiæ. 3°. Exanthemata; 4°. Hæmorrhagiæ.

5°. Pro-

5°. Profluvia: Hi rurſus in genera, & ſpecies ſubdiviſibiles.

Ordo primarius, febres ſtrictius dictæ, ſic dignoſcitur. Prægreſſis languore, laſſitudine, & aliis debilitatis ſignis, pyrexia ſine morbo locali primario: ut ab ordine Phlegmaſiarum ſecundo diſtinguatur, qui congeſtionem ſeu affectionem topicam idiopathicam primariam in ſuam cauſam agnoſcit; ex Gr. pleuritis, rheumatismus, angina, cæterique. Ordines alii ſinguli characteribus ſibi invicem diſcretis, quibus hoc loco diutius immorari abs re alienum eſſet, internoſcuntur, cum, in tentamine inſequenti, ordini primo præcipue animum incumbere conſtituimus.

Hic ordo in Sectiones omnino binas recte dispertitur; una Intermittentes & Remittentes, altera Continuas ita dictas, uti febrem Inflammatoriam, Nervoſam, & Putridam Anglorum; Synocham, Typhum, & Synochum Sauvageſeï, complexa.

Sectionis hujusce primæ ſcil. Intermittentium, genera, Temporis intervallo inter Paroxismos, eorundem ſimilitudine a ſe ipſis diſtinguuntur; A Continuarum ſectione. Sub prima, intermiſſiones, remiſſiones, & exacerbationes, quam ſub poſtrema, perſpicuæ magis apparent, & citra viginti quatuor horarum ſpatium curſum abſolvunt. Cum vero ſyſtema corporeum ſub diurnis revolutionibus, & oppoſitis, uti ſomni, vigiliarum, appetitus, excretionum, & cæterorum extremis ubique verſatur, cumque Arteriarum pulſus, ſingulis diebus, ſub variis horis, tardior ſeu citatior evadit, vid. Cl. Robinſon on The An. Oecon. & exacerbationes hecticæ naturales preſſo pede conſequi ſolent, cum denique febres continuæ illarum revolutionum impulſui ſubjiciuntur; uti exacerbationes veſpertinæ evincunt: ideo a priori forſan concluderes, febrem continuam, ſic proprie dictam, nusquam terrarum occurrere. Cl. Profeſſor febrem per horas viginti quatuor, ſine exacerbatione aliquatenus notabili, perdurare ſe nun-

quam vidiſſe aſſeverat: hiſtoria etiam febrium plurimarum ut ab auctoribus narratur, fidem huic conciliat.

Unum ſtatum ſyſtematis in die, febrilis paroxiſmi acceſſui, alterum remiſſioni favere, obſervatio probat, agitationes autem inſolitæ, ex cauſis ſtimulantibus, & ſyſtematis ſenſibilitate relativa, hodie excitatæ, ſtatum talem poſſunt inducere, ut cras variet paroxysmus, typus tamen nunquam obliteratur, & ſi in continuam ex intermittente mutatur febris, loco intermiſſionis, remiſſio obtinet.

Paroxismorum duratio, cauſa cujus poſtea dicetur, & eorundem regreſſus frequentiores, formas intermittentium diverſas, intervallorum brevitatem, intermittentium in remittentes, & illarum rurſus in continuas, commutationem aſſignant, & conſtituunt. Continuæ in intermittentes ſæpe transmutant, & vice verſa, & cum tertianæ in continuas paulatim demigrant, typum tertianum qui admodum univerſe in febre intermittente ſicut & continua dominatur, conſervant, vid. Senac., Cleg. Syd. Pring. & Sauv. Auctor poſtremus omnes quotidianas inter tertianas duplices relegit. Paroxismorum immorantium cauſam poſtea indigitare conabimur: quæcunque autem diſcrimina alia occurrant, quibus febrium continuarum genera terna ſigillatim internoſcantur, poſtea locus erit ut oſtendamus.

Analogiam Intermittentes inter & Continuas ita dictas intimam obtinere jam antea commonſtravimus; & ſingulas paroxismis ſuis, etiamſi in poſterioribus exacerbationes & remiſſiones difficilius inſigniantur, ubique conſtare; ſufficietne igitur ad cauſam febris proximam inveſtigandam, Intermittentis paroxismi conſpectus, qui, prout ordinis ejusdem genus quam maxime conſummatum, quippe ſub eo ſymptomata dilucidius deſignantur, accenſeri poteſt: immo Sydenhamus ipſe doctrinæ contrariæ fautor, vulgo habitus, febrem continuam Londini, anno 1661., graſſantem, ad claſſem intermittentium

re-

referebat, dicens, Paroxismorum duratione, ab intermittentibus tantum differre.

In paroxiſmo tria ſtadia diverſa ſub hoc ordine ſeſe proferunt: nempe.

I. Stadium exhorreſcentiæ, horroris, & frigoris;
II. Caloris.
III. Sudoris.

Quidquid in Symptomatibus cujusvis generis, a ſtatu ſano alienatum ſe manifeſtat, id omne ad actiones, excreta, & qualitates ſenſibiles facile reduci poteſt.

Monendum eſt hic, aliud in alterum tam ſenſim obrepere, ut, ubi illud terminetur, aut hoc incipiat, ne vix dici poſſit. Sed horum ſingula, quantum res ſinat, deinceps enarrare connitemur.

Stadium primum. Præcedunt laſſitudo, languor, torpor; quibus accedunt oſcitatio, pandiculatio, & in ſomnum aliquando proclivitas; quinetiam debilitas, ita ut æger ad ſeſe ſub poſitura erecta ſuſtinendum parum valet, ſed decumbere ex neceſſario cogitur. Circa hoc tempus, cutis totius pallor obvenit, qui primo inceſſu ad partes extremas, uti naſi, digitorum, ungues manuum pedumque, exoritur; quæ partes interea liveſcere conſueverunt. Habitus totus externus extenuatur; omnia vaſcula per ſuperficiem diſperſa ſenſim evaneſcunt; Annuli ex digitorum articulis elapſi decidunt. Cutis aſtringitur, & papillæ prominent, ita uti pellem anſerinam mentiantur. Frigoris ſenſus hæc comitatur, qui primo adortu haud raro a pedibus incipit, ſed ſæpiſſimè per dorſum quaſi ſerpere videtur, & aquæ frigidæ transfuſionem æmulari ſolet; mox etiam, totum corpus pervadens, eo intenditur, ut æger nullatenus callefieri queat. Hiſce vero pedetentim ſuperveniunt varii motus anomali; quales, horror, rigor, tremorque, primo parum conſtantes, at cito totum corpus occupantes, atque imprimis has partes quibus imbecillæ ſunt antagoniſtæ; hac de cauſa maxilla inferior & artus vehementer ſuccutiunrur. Nunc vero imminet.

Sta-

Stadium ſecundum. Quod una cum ſenſu caloris circa præcordia accenſo primo introducitur, & per totum corpus cito diffunditur. Refrigeratio fervorque undequaque viciſſim ſollicitant; ſed aliquanto temporis ſpatio tandem peracto, ardore invaleſcente; horrores atque tremores penitus fugantur; ſuperficies quoque, præ cæteris facies, manus, oculi, nunc turgidiores, multum ruboris præ ſe ferunt.

Stadium tertium. Poſtquam ſtadii ſecundi ſymptomata febrilia deferbuerunt, cutis laxatur & molleſcit, æſtus fit lenior, ſudores primum circa caput erumpunt, ac deinde pedetentim in partes vicinas obrepunt, donec corpus æqualiter molle calidumque reddatur; ſudores ubique invaleſcunt, & paulatim diminuti paroxiſmo finem imponunt.

Haud paucis, inter Apyrexiæ decurſum, præ laſſitudine & imbecillitate, vires defetiſcunt.

Quinetiam ſymptomata alia deſignanda occurrunt: uti *Pulſus.* Quamprimum ſtadii primi ſymptomata quælibet, ac nonnunquam citius ingruunt, pulſus exilis, debilis, frequensque, & in quibusdam irregularis, habetur; atque ita deinceps per hoc ſtadium perſtat: Calore autem redeunte, magis conſtans, validus, plenus, & minus frequens evadit, etiamſi ſtatum naturalem adhuc excedat. jam arteriarum pulſatio dura, quaſi quodammodo alligarentur, & ſubſilire prohiberentur, ictum præbet. Hoc in ſtadio primo, quamvis minus manifeſte, magis ſæviebat; uti ex conditionibus compluribus inferre licet. Arteriæ temporales vehementer agitantur. Pulſus denique ſudore procedente minus frequens, tardior, plenior, molliorque, & cito qualis ac in ſanitate devenit.

Reſpiratio. Sub frigoris inſultum, anxietatis ſenſus & circa præcordia gravitas, urget; quibus reſpiratio crebra & laborioſa comes incedit; & exinde cum arteriarum ictibus, pari greſſu, lentior ac naturalis evadit.

Secretiones. Sub ſtadio primo ſecretiones generis cujusvis aut penitus ſubprimuntur, aut ſaltem multum imminuun-

nuuntur. Os & cutis exſiccantur; ſitis urget, venter aſtringitur, urina parcior excernitur, odoris expers, limpida, tenuisque, ſedimentum nullum deponens. Tumores ſubſidunt; ulcera exareſcunt. Sub ſtadio autem ſecundo, ſecretiones adhuc occluduntur; Os, cutis, & cætera, deſiccantur; & coloris rubrioris fit urina. Ulcera tument dolentque. Sudore exæſtuante, ſecretiones omnes uberiores fiunt. Os humectatur; & haud raro reſpondet alvus. Ex ulceribus humores purulenti defluunt. Urina nunc uberior profluit, ſedimentum copioſum demittens.

Ventriculi affectus. Sub principiis, appetitus deletur; & nauſea denuo ſuccedit, quæ in vomendi actum non raro erumpit; ſed, ſudore procedente, evaneſcit, & cibi cupiditas redit.

Senſationes. Sub ſtadii prioris inſultum, ſenſorii functiones & affectus, uti tactûs, viſûs, auditûs, olfactûs, cæterorumque ſenſationes conſuetæ, multum imminuuntur. Hebetudo, ſtupor, delirium, coma, convulſiones, & cætera, non raro conſociantur. Sub ſtadium autem ſecundum, ſenſationes exquiſitæ fiunt, ita uti ſoliti, quales, lucis, ſonitus, cæterorumque affectus, ægre tolerantur; homo delirat; & nonnunquam comatoſus evadit. Ulcera dolent; excruciatus in variis partibus urgent; ſitis inexplebilis inceſſit. Sub ſtadium tertium, phænomena omnia infauſta paulatim evaneſcunt.

Notandum tamen, quod in variis hæc varie ſæviunt durantque.

Nunc ad phænomena febris inveſtiganda progrediamur; uti, ſi fieri poſſit, cauſa proxima exinde detegatur. in hoc autem proſequendo inter ſcyllam & charybdin navigamus, & doctiſſimi in ſaxa illiderunt.

Principio, vires ſedantes & debilitatem ingruere, in perſpicuo eſt. Ita profecto laſſitudo, imbecillitas in functionibus animalibus & vitalibus, ſtupor, delirium, quod nonnunquam in coma extenditur, hebetudo, convulſiones, & cætera, ſenſorium ex origine pertentari,

& officia conturbari, clariſſime demonſtrant. Inſultus inopinatus: Cortex brevi ante paroxismi acceſſum adhibitus, antequam in fluidorum circuitum opportune perveniat, ad eundem propulſandum valebit. Paroxismi, poſtquam ceſſarunt, a terroris aut timoris impetu, denuo renovari poſſunt. Intermittentes, præcipue autumnales, lentoris ſigna nullatenus oſtendunt. Applicationes externæ, & dolores acuti, paroxismo præeuntes, eum nonnunquam coercuerunt. materia varioloſa, aut & venerea plura ſyſtemata adficit, quam febrilis, dum forſan unus ex magno numero ſimili modo febris cauſis objectus, febre afficitur. febris dum fluida in ullo ſtatu ſunt oriatur, & fluida ulla via nobis cognita mutentur, ſine febre; pars etiam in materiam varioloſam converſa ſit, ſic ut variolas producere in homine qui antea eodem laborabat morbo, & qui hoc tempore fluidis ita inquinatis a febre liber erit: per conſuetudinem ſeu habitum febrium cauſæ nobis innoxiæ fiunt, exemplum indigitans, quod ſyſtema nervoſum agrediuntur, habitus poteſtati ſolummodo ſubjectum; quoniam hic nullam habet connectionem cum fluidis. in omnium fere febrium principio, & per multarum decurſum, fluida nullam mutationem quoad qualitates ſenſibiles patiuntur.

Vis Nervoſæ energia, unde cæterorum actio pendet, imminuta, phænomena omnigena dilucide explicabit; hæc enim per ſyſtema usque ad Cor arteriasque ubique diffunditur; uti pulſus debilis & irregularis aperte commonſtrat: Ex vis Nervoſæ & ſyſtematis ſanguiferi ſtatu, phænomena omnia conſectaria deduci poſſunt.

Principio, cordis arteriarumque actio, imbecillis & impedita, ſanguinem ad vaſa extrema languide propellit; hinc ea, fluidis non diſtendentibus, elaſticitate ſua & vi musculari ſeſe conſtringunt. Unde explicatur ulcerum cutis & oris exſiccatio, tumorum ſubſidentia, urinæ & ſalivæ ſecretio parca. Bilis aucta copia, vaſis internis nunc ſanguine obrutis, partim enaſcitur; & exinde anxietas,

xietas, & ſpirandi difficultas, & cætera, excitantur. Ill. Senac, de recondita febrium natura, etiamſi bilem, prout febris cauſam proximam, agnoſcit, nihilominus cauſam compoſitam adſcire coactus eſt.

Præter arteriolarum elaſticitatem, conſtrictionem, vi musculari ſibi ipſi innitenti, augeri, & prolongari, clariſſime deducimus; cum ſtadio primo diutius protrahitur; quod quidem cutis ſiccitas, & cætera, ſub ſtadio ſecundo, vaſis etiamſi diſtentis, & actione aucta luculenter evincit. ecce vero ſpasmus Hoffmanni.

Quod ad impetum auctum excipientem attineat, hunc a congeſtione interna ſcilicet cor ſtimulante excitari nequaquam concedimus. Cum enim cordis actio debilior vis Nervoſæ energiam imminutam conſequatur, ideo cauſæ quædam ad hujus energiam excitandam, opportune, & ex eo cor ipſum ad illius ſtimulum magis ſenſile reddendum, concurrere debeant. Hæ ſunt vires medicatrices, apud medicos tam multis laudibus vulgo concelebratæ. Cum enim ſenſatio moleſta ſeu nociva adhibetur, vel quæ poteſtatem nervoſam certum ad gradum infirmare valet, vel quæ reſiſtentiam anxietatem creet, quas hæ congeſtiones vaſorumque conſtrictiones inferre ſolent; ad hanc depellandam, ſenſorii vis adaucta, & reactio qua ſtatus naturalis recuperetur, opportune excitatur. Hæc vero lex in œconomia animali dominatur, quæ noxia depellendi, obſtacula removendi & errores ſuos corrigendi, viribus induitur, haud raro tamen vi medicatrici deficientibus: Corticis effectus in intermittentibus ſanandis in exemplum hujus inſerviant. Quod ad ſententiam noſtram attineat, ea revera potentiæ ſyſtematis mechanicæ, & nequaquam animæ imperanti inniti videtur; & rationes prorſus phyſicæ, quæ exinde conſequuntur, omnino deduci poſſunt.

Huic quoque vi medicatrici, & non vis Nervoſæ inertiæ, debetur, in primo ſtadio, horror, rigor, tremorque. Nam, multis in caſibus, horror & frigoris

ſenſus occurrunt, dum interea ſenſorii energia nequaquam imminuitur: Exempla præbent Hæmorrhagiæ, phlegmaſiæ, & congeſtiones topicæ, lochia ſuppreſſa, dum lac maternum manare properat, muliere jam parturiente; Ventriculus moleſte affectus, & nauſea vomitusve ingruentes, horrorem ſibi comitem ſæpius adſciscunt. Omnibus his in caſibus, congeſtio, reſiſtentia, ſeu ſenſatio quædam moleſta adfuit, quæ ſenſorio ſtimulos excitavit. Hac lege, refrigerantium vires ſtimulatrices explicantur. Tremor etiam a ſyſtematis conatu, ſub ſtatu debilitatis, obvenit: Ita maxilla inferior, ſuſtentaculo deſtituta, & membra, tantummodo cum ad motum cientur, a musculorum tenſione debilitata, & a conamine ad eos ſuſtentandos reiterato, aſſidue tremore afficiuntur. Horror, rigor, tremorque, reactionis ſyſtematis inceptæ indicia prænunciant; viribus agentibus ubique pollent, & in remedium contra morbum partim inſerviunt. Et quales adſunt vires quibus iidem excitantur; eadem ratione, talis evadit cordis & arteriarum reactio; & illis in febribus quibus in gradu majore exercentur, caloris ſtadium ad ſudorem, & morbus ad ſolutionem expeditiorem, eo citius pervenit: & quibus minus manifeſte ſeſe produnt, & quæ tardius invadunt, in febribus plerisque, objectiones enim adduci poſſunt, plus periculi præ ſe ferunt: Hinc intermittentibus quam continuis laborantes in portu tutiore navigant. ita monet Celſus, peſſimum eſt ſi ne levatur quidem febris, ſed æque concitata continuat, & alio loco, Horror autem eas fere febres antecedit, quæ certum habent circuitum, & ex toto remittuntur, ideoque tutiſſimæ ſunt. Febres quocunque modo intermittant, quod ſine periculo ſint ſignificat. Hipp. Frigoris ſtadium ſenſorio irritationem, algoris ipſius externe applicati effectus eosdem ſimulans, forte præbeat.

Hanc febris reactionem quæ præeat, interceſſio ſpasmi ſemper neceſſaria depoſtulatur: Eandem prægreditur, atque ſenſorio ſtimulum creat, & reactionem, ſeu calo-

ris

ris ſtadium, prout vera cauſa adauget refovetque. Quamprimum enim ſolvatur hicce ſpasmus, erumpit illico ſudor, & finitur paroxismus. Hicce autem ſpasmus interdum neceſſario gravior evadit, & vires ſtimulantes nimis augere conſuevit. Diatheſis phlogiſtica ſpasmo hujusmodi comes adhæret.

Vis nervoſæ inertia interventu ſpasmi, quo ſenſorio ſtimulus præcipuus excitatur, omnibus rite penſitatis, agere videtur; & uterque ad impetum cordis arteriarumque augendum, qui paroxismo finem imponit, cauſam præbet. Hic impetus auctus frigoris ſenſum pro ſua cauſa excitante non agnoſcit: Cum exempla adſunt, ubi caloris ſtadium, & paroxismorum in continuis repetitio, frigore non præcedente, ſæpius deprehenditur. Utcunque, horrorem cæterosque utplurimum intercedere, vires ſtimulatrices augere, & ſpasmi generati, reactionisque inceptæ, ſigna indicare, commonſtravimus. Horror igitur, cæterique, & impetus auctus, reactionis effectus, enaſcuntur. Naturæ ergo molimina potius aut Symptomata activa auxiliaria Vocentur; quum ab actuoſa natura excitentur: id genus motibus præſertim febris enumeranda eſt: falluntur tamen qui ex hoc fonte non niſi ſalutifera proficiſci exiſtimant, patitur & natura ſuos errores &c. Gaub.

Nunc itaque ad corollarium inſignis momenti perventum eſt, ſcilicet, in febre has tres partes obtinere, nempe, *Vis Nervoſæ inertiam*, *Spaſmum*, *Cordis & Arteriarum Impetum auctum.* Et veriſimile videtur hoſce ſtatus ternos obvenire, ſibi invicem alligari, & ordine, cauſa, & effectu, mutuo ſuccedere. Poſtremus binos præcedentes pro cauſa excitante agnoſcit.

Sub his autem Boerhaavii Inertiam liquidi nervoſi, Spaſmum Hoffmanni, & Impetum auctum, rem apud omnes neceſſariam exiſtimatam, ſponte naturæ, matrimonio conjuncta, ſimul agnoſcimus.

Pulſus frequens absque ſpaſmo præcedente nunquam per-

permanens aut moleſtus offenditur. —— In phlegmaſiis & Hæmorrhagiis, congeſtio topica vis Nervoſæ inertiæ analoga, ſpaſmum ſuſtentat.

Anne aliquid adhuc, de febris cauſa proxima concludere liceat, cauſa morbi equidem raro in ſenſus cadit, ratiocinatione vero ſæpius detecta: in febre tria ſymptomata generum duorum inventa fuerunt: unum vel duo quæ morbum vere efficiunt, ex cauſa ejus tanquam effectus profluentia, alterum vero, ab natura reagente excitatum, morbo adverſarium.

Hæc tria vere conſtituunt *febrem* ſic dictam; & mirandum notatu, in cunctis rebus quæ a natura fiunt, infinitum fere cauſarum progreſſum; morbus autem cum cauſa nequaquam confundendus: nec effectus pro cauſis ponentur.

Quænam eſt labes, quæ in partes nervoſas, a febrium cauſis vi noxia agente præditis: & harum partium predispoſitione, inducta, febris phænomena excitat, remotis autem per paroxismum, vis nerveæ inertia & ſpaſmo, in actum rurſus cietur, paroxismum reproducens: & quænam eſt mutatio quæ tandem innocuam reddit: hæc vera cauſa immediata, efficiens febris, donec tamen vis nervoſæ natura, quæ nunc abſcondita jacet, eruitur, ne plus ultra forſan mortalibus cæcis pervenire datum eſt.

Antea notatum fuit, quod habitu febrium cauſæ nobis innocuæ fiunt; & corporis quædam diſpoſitio requiritur ad febrem ſuſcipiendam, nam in peſte ipſa, plures inter ægros infectos verſantur, & res infectas tractent, a contagio tamen liberi maneant; alii vero etiam temperatiſſime viventes, leviſſima occaſione peſte corripiantur: ex quo diſcitur, vim miasmatis & febris cauſarum remotarum, non eſſe abſolutam, ſed a corporum diſpoſitione ejus funeſtum effectum maxima ex parte dependere: cauſæ quædam ad febrem prædisponentes poſtea annotentur. ſequitur, quod cauſæ morboſæ nunquam vires ſuas exerunt ſecundum ſuam activitatem, ſed ſecundum receptitivitatem, & diſpoſitionem corporis partium, quatenus hæc illarum activitati magis, vel minus

nus reſiſtit; & profecto conſideratio, & relatio illa virium quæ cauſis morbificis inſunt, ad diſpoſitionem & motum partium fluidarum & ſolidarum corporis animati cognitu valde difficilis, ut ſæpe plus conjectura, quam firmior prædictio locum habet. Nec ad boni medici doctrinam, ſtudia, & officium pertinet, ut ſubtiliori rerum obſcurarum meditationi, & cognitioni indulgeat, ſed ea potiſſimum, quæ in ſenſus incurrunt, quæ uſum habent, & de quibus evidens ratio conſtat & dari poteſt, ſectetur.

Uti enim multa in rerum natura ſunt difficultatum mæandris involuta, quæ omnem cognitionem & intellectus humani aciem exſuperant; ita etiam in philoſophia rerum naturalium & medicarum id contingit: quæ ſecreta naturæ tutius eſt mirari, quam rimari velle. ad hunc cenſum pertinent. unde vis in quovis ſemine multiplicata oriatur: quæ cauſa gravitatis, in quoniam ſtupenda vis miasmatis & contagii conſtitit, qualis ſit proportio inter naturæ & morbi vires, forſan adjiciatur quænam ſit vis nervoſæ natura &c. ſufficit, ut medicus per doctrinam per freqnentem uſum, attentamque experientiam ſolidam demonſtrationem & rationem ſciat diſcernere pernicioſa a ſalutaribus, atque rationes phyſicas etſi non geometricas, adferre, hæc enim curioſa imperſcrutabilium indagatio nonniſi contentionum & litium occaſionem præbet.

Sicut autem per totam naturam motus ſecundum certas leges, tanquam ad normam fiunt, & conſtanter edunt effectus; ſic etiam a viribus nocentibus: & ab natura reagente, motus certis legibus, (quibus in phyſicis nullæ ſæpius certiores ſunt) contenti, ſequuntur, horum motuum igitur leges &c. inquirere & addiſcere oportet. ſed ad metam properare neceſſe eſt. itineris enim longitudo, huic diutius inſiſtere vetat.

Quocirca, febrium cura in ſpaſmo ſolummodo removendo nequaquam conſtat. Namque vis Nervoſæ inertia ſpaſmi primordia ſtruit; & reactio, atque ſenſorii vis aucta, ad hanc inertiam, cauſam ejus, & ſpaſmum ſeu

va-

vaſorum extremorum conſtrictionem, ex hoc fonte profluentem, cordis arteriarumque actionem excitando, quæ viciſſim ſenſorium ſollicitat, arcendam & depellendam intenditur. Hodienum etiam apud omnes conceditur, mortem in febribus ſub ſtadium frigoris ſolummodo evenire. vid. Hoffman. Boerhaave &c. Sin vero ſub ſtadio caloris incideret, ex regreſſu & prævalentia ſymptomatum complurium, ſtadium primum deſignantium, ubique contingit.

Febres ſub duabus formis, ſcilicet, intermittentium & continuarum obvias ſeſe manifeſtare, & inter haſce duas formæ diſcrepantiam ex paroxismorum duratione pendere, contendimus. Cauſam igitur hujusce nunc ad examen revocemus.

Affinitatem quandam cum horrore, rigore, & tremore, eandem ſuſtentare, & reactionem haud aſpernandam, & paroxismos breves concomitari, jam oſtendimus: Utcunque, pulſum frequentiorem & calorem auctum, ſub paroxismis longioribus, uti in quotidiana quam quartana, non raro majorem obtinere comperimus. Hujus vero cauſam in ſpaſmo perſcrutemur oportebit.

Dictum fuit, ſpasmum ſenſorio pro irritatione inſervire: ſin irritatio pro ratione conſtrictionis ſpasmodicæ reſpondeat, operationes duplices æquales erunt. Sed irritatio ſpasmi, & conſtrictio exinde procreata, inter ſeſe haud ſemper apte conveniunt.

Si ſpasmus modicus ſit, & irritatio ſeu reactio haud mediocris, ideo paroxismum curtum efficient.

Denuo, ſi cum vis Nervoſæ inertia, ſeu cauſa febris in genere, tenſio ſeu conſtrictio ſyſtematis arterioſi, diatheſis phlogiſtica vulgo nuncupata, quæ pulſum durum, validum, frequentem edit, regionibus frigidis præcipue, dominatur, & venæſectione quæ hanc tenſionem apprime minuit curatur, vel ſi irritationes quælibet ſyſtemati arterioſo ad hanc diatheſin excitandam applicantur; ſub hac conditione, ſpasmus nimis potens reactione

ex-

excitata non ſuperatur, unde Synochus ſeu febris inflammatoria conflabitur: Hanc diatheſin quæ producunt, ſtimulantia intermittentes in continuas commutant.

Rurſus, ſi diatheſeos phlogiſticæ non multum, cum vis Nervoſæ inertia inſigni concurrit, inertia tanta, adeſt, uti ſenſorii irritabilitas magnopere exſtinguatur - ideoque impetus auctus ſpasmum, etiamſi modicum, ſuperare nequit: Unde febris nervoſa ſeu typhus enaſci videtur. Galenus etiam idem notavit; dicens, ſignum malum in febribus eſſe virium imbecillitatem, nam virtus ita proſtrata ad pugnam contra morbum non excitatur.

Febris igitur continuæ genera bina comperta ſunt, inflammatoria nempe & nervoſa; unde, paroxismorum durationem ex ſpasmi & vis Nervoſæ exceſſu viciſſim pendere, appareret. Febres ex nimis magna, ſeu nimis parva agitatione oriuntur Boerh.

Medici autem officium eſt; pugnam inter naturam & morbum inſpicere, & priorem errantem vel deficientem refrenare, juvare, omnia quæ in opere perficiendo obſtant, removere, & nonnunquam medicamentis totam rem efficere.

Tertium genus putridum adhuc reſtat: In hoc autem febris cauſæ remotæ non ſolum in ſyſtema nervoſum, ſed etiam in fluida, fermenti modo, vires ſuas exſerunt. De hoc vero poſtea. Et procul dubio fluida ex febrium effectibus, ſicut & cauſis ſæpius varie afficiuntur inquinantur.

Ex hactenus dictis in febrium generibus, cauſæ variæ commutationis in ſe invicem patebunt. Quod ad *ventriculi affectus in* febribus attineat, nauſeam vomitumque absque ſtimulis in eum immediate directis excitari poſſe, & affectus hosce non raro ſympatheticos eſſe, ſatis novimus. Senſationes ingratæ complures, animi affectus, deliquium, immo tali luxatio, & impreſſiones ſedantes, haud raro nauſeam vomitumque procreant. Oeconomiæ phænomena multifaria, ventriculum inter

& ſuperficiem corpoream nec non caput nexum inſignem obtinere, demonſtrant. Hoc omnes fere medici ab Hippocrate notant. Bellin. Helmont. Hoffman &c. Anxietas ventriculi morboſa, in febre, a vis nervoſæ inertia & ſpasmo concitari videtur. Vomitus, & fortaſſe partim nauſea, ad hanc vis nervoſæ inertiam & ſpasmum depellendum, reactionis ope exſuscitantur; & fluidorum cæterorumque determinationem ad ſuperficiem accelerant: Sudore vero prorumpente ceſſat vomitus. Artis auxilio hosce naturæ conatus imitari valemus; &, in ſtadio frigoris, emeticum, opportunius adhibitum, ſudorem & paroxismum ad finem citius perducit: Idem in materiem morboſam ſolam evacuandam non inſervire ſatis liquet; ſiquidem doſis quæ nauſeam laceſſit, eosdem effectus producere queat. Anxietas & nauſea, vehementer ingraveſcentes, febris cauſas fundamentales momenti inſignis eſſe proclamant: Vomitus bilem emulgebit. Jam vero febris cauſas remotas indagare conemur.

Cauſæ febris *Remotæ* præcipuæ ſunt, ecce! res extraneæ nonnullæ, ſicuti *Miasmata* & *Contagia*, forte fortuna in habitum introductæ; aliæ quædam ſicut Idioſyncraſis peculiaris, non-naturalium exceſſus, animi affectus debilitantes, frigoris; & caloris, viciſſitudines ſubitæ; hinc autumnus nocens uti Celſus notavit, cæteræque, deſignandæ veniunt. Ex hiſce autem miasma & contagium magis præcipuum pollet: Et citra hoc ſæpius cæteræ ad febrem procreandam vix ſufficiunt. Miasma paludum effluviis exhalata: Contagium, materies quædam, homini hoc morbo infecto immiſſa, quæ homini ſano applicata morbum eundem crearet. Quinetiam fieri conſuevit uti miasma, per corpus transmiſſum, in contagium convertatur. Sic inquinamenta paludoſa febrem tertianam vel etiam petechialem generant: Homo autem affectus aliis, qui his effluviis paludoſis haud ſubjiciuntur, eundem morbum impertitur. Circumvagantur etiam miasmata humana, quæ

in corpore humano gignuntur: Ita profecto quivis, ſub ſqualore carceris incluſus, *Morbum Carceris*, vulgo dictum, cum alio communicare queat, etiamſi ipſe morbo eodem nuſquam corripiatur.

Miasmata paluſtria caloris & humiditatis quodam gradu, prout originis cauſa, nituntur. vid. Pring. Lind. Lanciſ. &c. In regionibus & tempeſtatibus calidioribus, ſicut & morbi plerique contagioſi, præcipue graſſantur: Exempla præbent, peſtis, febris flava, intermittentes cæteræque, quæ ſub cælo frigidiore nuſquam dominantur, & hyeme adveniente ceſſare conſueverunt. Calor ſolus non ſufficit, nec ad febrem procreandam, nec ad cauſas remotas exſuſcitandas, nam calores ſummi ſunt ſine febre; exempla præbent, vitrarii, fabri, ruſticique ſolis radiis maxime expoſiti, dummodo æqualiter caleſcant; & ſub maximis caloribus ſymrnæ peſtis extinguitur. nec Humor ſolus ſufficit, nam nautæ, lotrices, & incolæ lacuum dulcium, præ cæteris febribus non plus laborant, & lacus propemodum exſiccati Endemias intermittentes facientes, quæ aqua dulci rurſus repleti, amovebantur, febris intermittentis etiam paroxismi acceſſus balneo tepido obvenitur. Humoris, non minus quam caloris, gradus præfinitus, ſicut apud omnes convenit, ad effluvia paludoſa progeneranda neceſſario depoſtulatur. Sub hiſce conditionibus, febres intermittentes, ex quibusílioſæ, paludoſæ, Caſtrenſes enumeratæ, concitantur. Humiditate tamen certum tantum ad gradum prævalente febres hujusmodi ſeſe produnt. Namque poſt inundationis acceſſum & receſſum, ſive aquarum evaporationem, dum ſordes limoſæ a tergo derelinquuntur, hæ ſolummodo digraſſantur. vid. Senac. Pring. Lind. &c. Emped. etiam Pythag. diſcip. Iundatio fluminis Nili morbum nullum procreat: Sed inundatione tandem amota, & agro cum aura cæleſti ſeſe communicante, tum intermittentes & peſtis aliquatenus cujusmodi conſtantur. Ad haſce febres concitandas, humiditatem meram, ſeu vapores

res purè aquoſos, haud ſufficere, exempla alia complura ſupra traditis adjicere poſſumus. Sed de his ſatis. —— Ventilationis defectus, ad hæc effluvia provocanda, accumulanda, & magis virulenta efficienda, multum conducit. Paludoſa loca, ubi ſtagnant & putreſcunt aquæ, valde inſalubria ſunt, & febres pernicioſiſſimas producunt. præcipue æſtivo tempore. obſervatione etiam diſcitur, quod morbi Epidemici populariter graſſantur, quando nimias & diuturnas pluvias vel terrarum inundationes æſtus immodici per aliquot dies ſequuntur, & poſtea eas inſueta frigora excipiunt. & febres intermittentes, petechiales &c. accendunt. Hoffm.

Miasma & contagium potentiſſimum & graviſſimum in ipſo corpore humano progeneratur. Exemplo ponatur aër mephyticus ex pulmonibus emiſſus, qui viribus quam maxime ſedantibus pollet, & vitam cito exſtinguit. Quinetiam materies perſpirationis viribus nocivis abundat. Cum hæc inquinamenta accumulantur, ſeu circa corpora humana per tempora longiora demorantur & cohibentur, venenoſa inſigniter evadunt: Unde conflabitur febris Carcerum & Noſomiῶn, quæ typhi forma ſeſe induunt.

Exhalationibus a cadaveribus & materie excrementitia ſuborientibus, apud auctores multum attributum eſt: ſin hæ tantas vires nocentes, quales vulgo creditum, poſſideant, quidnam, quæſo! de vicorum purgatoribus & anatomicis, cæteriſque, vel quid de inquilinis, apud civitatem Madrid aut —— vitam degentibus, agendum foret? Cum tamen hi contagio nihilominus nullo prorſus, magis quam aliæ civitatis Europeæ cujuslibet incolæ, laborant. ſed hiſce vim noxiam ineſſe nequaquam nego, & ſine dubio excrementorum & fætidorum vaporum copia & colluvies, quæ in caſtris & urbibus foventur: circumfuſum aerem inficiunt corrumpuntque.

Miasma ſive contagium, haud longe per cælum diffuſione & miſtura diſperſum, vires ſuas, quibus corpori noceat,

ceat, prorſus amittit vid. Lind. & Pring. Miasmata paludoſa ultra trecenos vel eo circa pedes non longius procedunt, niſi vento difflantur: vid. Chenot. Pring. per experimenta Lanciſii, hæc miasmata putrida videntur. Quæ ex plantis aliisque in aqua rebus corruptis ingeſtis ſuppeditari poſſunt. Quin immo peſtis ipſa per itinera breviora progreſſus facit, niſi per commercium hominum aut veſtimentorum cæterorumque communicetur. Hæc effluvia contagioſa facillime muris, parietibus, veſtimentis, mercibus, cæterisque, deſerpentia ſeſe adjungunt; &, ab his in homines transmîſſa, viribus quam maxime nocivis invaleſcunt. vid. Peſt. apud Maſſil. Contagium circa corpus humamum, per longum temporis decurſum, & per longinquum itineris ſpatium, veluti a Britannia ad Indiam uſque Meridionalem, absque viribus quibusvis nocivis exercendis, interdum delatum fuit. Ex hisce noxiis fontibus, febres mortiferæ & peſtilentioſæ apud exercitum Græcum, quas Homero auctore diſci poteſt, ad iram deorum relatas fuere, & ab iisdem opem poſci ſolitam.

Cum rore nocturno etiam & nebula exhalationes naturæ humanæ inſenſiſſimæ ad inferiora deſcendunt, & vel animantibus vel frugibus nocent; infeſtant præcipue loca paludoſa.

Exhalationes parum ſalutares a calore, humiditate, & ventilationis inopia, concurrentibus, in ædificiis & domiciliis, uti in locis humidioribus, & areis terrenis, cæterisque procreari, febresque excitari, queant, quæ aliis forſan cauſis a nonnullis temere aſſignarentur. Febrium cohors multifaria miasmatis occaſionalibus & fortuitis, ex ipſo corpore humano concitatis, forte pendere queat: Hæ vero homines infimæ ſortis, & egenos, a veſtimentorum & mappalium conditionibus, & vivendi more, promptius afficiunt.

Scaturiginem miasmatum humanorum & paluſtrium generalem inveſtigavimus; & ea circa mortale corpus

inertia diutius immorari poſſe comperimus, donec cauſæ excitantes, qualis non naturalium & veneris exceſſus, laſſitudo, vigiliæ, indigeſtio, crapula, terror, timor, cæteræque concurrunt; quarum pleræque debilitatem & irritibilitatem inducunt. Et non raro ſuſpicemur forſan liceat, algores frigidiores, dum febrem propriam, ita dictam, laceſſunt, uti ſæpe ſolent, prout cauſam excitatricem, iisdem ac aliæ jam commemoratæ rationibus vires ſuas exſerere. frigores ſummi ſunt ſine febre, caloris & frigoris viciſſitudines ſubitaneæ præcipue nocent, & febrem propriam vel ſæpius phlegmaſiam ſuscitant. frigus affectu primum torpico ſive phlegmaſia, & exinde febre ſuperinducta, utplurimum, vires ſuas exercet, quisnam vera ſit morbus primarius, prout tempore precedat, conjecturas feciſſe liceat. Frigus gradu auctum, torporem, gangrænam, mortem infert, & nequaquam abſimile videtur, exhalationes ex locis humidioribus frequenter excitatas, anglice *miſts* vel *fogs* dictas; non ſemper miasmate veneneſo febrem producere, ſed quoniam aqua multa hæ abundant, fieri poteſt febrem ex frigore in fluidorum evaporatione genito ſollicitari; frigus hoc equidem ſenſibus plane ſe manifeſtat; eandem ſenſationem & effectum ſimilem non raro præbent veſtimenta madida, ſi aquæ per vaporem diſſlari occaſio detur.

Anne frigus ex ſe vaſorum extremorum conſtrictionem ex eaque febrem unquam procreat.

Humor ut & calor firma ſimplicia, fibras motrices resſolvunt, nec non humores intus deteriores reddunt; cauſas patholigice explicare tempus non ſinit. Cum volumen amplum aëris conſtitutiones diverſas morboſas & in corpus effectus, enumerare vix ſufficeret, ex hisce autem cauſis homines ut miasmatis & febribus afficiantur, proniores fiunt.

Vigoris ſyſtematici conditio naturalis, ſicut & habitus corporeus, homines effluviis hisce noxiis minus opportunos, ut & fluidorum ſtatus putreſcens, eadem, prout

prout fermentum putridum, ad agendum procliviora reddit, miaſmata paludoſa in bilem fortaſſe fermenti ratione nonnihil operantur.

Fieri poteſt, uti miaſmata, & contagia, cauſis hiſce excitantibus nequaquam concurrentibus, febrem procreent; ſicut in febre Carcerum, & ejuſmodi cæteris, ubi magnopere præpollent, accidere conſuevit. Extant etiam contagia quædam ſpecifica, quæ citra has cauſas excitantes febrem inducere valeant: Uti in variolis inoculationis ope, in peſte, cæterisque, videre liceat. Utcunque tamen contagionum iſtarum ſpecificarum haud ultra decem, aut eo circa, in claſſe pyrexiarum, dignoſcere profitemur.

Pauca de epidemicis dicenda reſtant. Has Sydenhamus, ultra quam par eſt, multiplices, & pene innumeras, eſſe conſebat. Varietatem earum multifariam cauſæ hujusmodi, ſcilicet, contagia ſpecifica quæ fere ſemper exiſtunt, corporum in quæ eædem effectus ſuos edunt, conditiones quædam, cauſarum remotarum diſcrimina, ſicuti miaſmata & contagia, qualitates aëris ſenſibiles, uti calor & frigus, humiditas ſiccitasque, in genere conſtituere poſſunt.

Præſtant autem de hac re copioſæ obſervationes in medicorum libris, quæ evolvi poſſunt, has enim hoc loco omnes conſarcinire, non inſtituti ratio exigit, & poſſunt in hanc rem legi, Hipp. Lancis. Hoff. Gaub. Lind. Pring. Rivin. Celſ. Wintringham & ſexcenti alii.

Tempore vernali & hyberno morbi inflammatorii, æſtivo bilioſi & putridi, magis circumerrant.

Ex hactenus dictis de febrium cauſis remotis, ordinetur prophylaxis. in diagnoſi etiam & prognoſi formandis ſcitu utiliſſimæ.

Febres cum phlegmaſiis ſæpius conſociantur.

CAUSÆ MORTIS.

Febres in ſalutem, mortem, ſeu morbum alium deſinunt;

nunt: De prima jam diſceptatumeſt, nunc vero de
„ ſecunda paucis diſſerere pergamus. Summam autem uti-
„ litatem habebit, ſollicite expendere omnes illos febris
„ exitus, ut ſic diſcamus quantum per artem hodie cog-
„ nitam licet vitare, & idoneis auxiliis tollere illa per
„ quæ febris in mortem tendit". Swieten.

Principio, febrium eventus anceps. Sub progreſſum, de eo crebrius admonemur; & exinde medendi methodum ordinare conſuevimus. Febrium cauſæ ex indole ſua lethales ſunt; ſed Oeconomiæ animalis motus ſalutiferos, mortem averſantes, excitant. Secundum Proſp. Alpin. nec non & Galen. „ Febris eſt certamen inter
„ naturam & morbum; & potentiſſimus victor evadit".
Et poſtea infit, „ Colligamus igitur ex his, ut nuper
„ dictum eſt, ſalutis atque mortis futuræ prænoſcendæ
„ judicium, a duorum tantum morbi nimirum & naturæ
„ invicem colluctantis obſervatione pendere atque fieri".

Ad operationem harum mortis Cauſarum indagandam noſmet nunc, pro virili parte, accingamus: Symptomata, harum cauſarum adminiſtrationem gradu majore vel minore deſignantia, poſtea indicanda.

Vitæ animalis principium in ſyſtemate nervoſo; & præcipue in ſenſorio, ſedem habere, pro rato tenemus: quale vero hoc ſit, hicce loci non diſceptatur; noſtrum non eſt inter eruditos lites tantas componere. Satis conſtat, motus omnes, & ea de cauſa functiones univerſas, in Oeconomia animali humana peractas, a ſyſtemate nervoſo pendere: Hæ vero functiones primariæ ſunt. Phyſiologi motum cordis quieſcentem ad rationem mortis reddendam ſufficere exiſtimant. Hicce motus ſenſorii actioni, & vitæ procul dubio, neceſſarius fuit: At vero ſenſorii officia non ſolum ex cordis ipſius actione, ſed ex iis quoque quæ ſenſus motusque functiones exſuſcitant, pro ſuſtentaculo ſuo pendent; & in hoc explicandum, actio cordis & arteriarum nullis rationibus inſerviet. Quinimmo, mortis cauſas nonnullas in vim nerveam ſolam ſan-

gui-

guinis circuitu in calculum non reducto, vires ſuas exercere, probant exempla. Sic aeris mephitici ſeu ſulphuris accenſi vapor Ranam ſtatim interficiet, (ſi quoad experimenta memoria non deficit.) dum tamen horas aliquot, corde diſſecto, vita ſupererit. Opium effectus eosdem, circulatione etiam deleta, cito producit. Vapores noxii, puteis quibusdam veteribus emiſſi, vis electrica gradu quidem majori, quæ vitam tam cito extinguunt, laeſione nulla diſſectionis ope conſpicua, animalium quorundam morſus, miasmatum, contagiorum & venenorum nonnullorum effectus funeſti & repentini vid. Mead, hanc expoſitionem ſolam adſciſcunt. Quinetiam in aſphyxia cordis & pulmonum motu quieſcente, vitam tamen ſupereſſe conſtat.

Vitam igitur ex vis nerveæ in ſenſorio excitatione pendere, mortem vero ex ejus abolitione, ſeu collapſu toto, evenire, contendimus. Vocabulis *Excitationis* & *Collapſus*, res ipſas prout actas, ſive documenta a natura petita, tantum intelligimus; verbis binis, quæ gradus energiæ in ſenſorio, quo ſolo ſyſtematis nervoſi partes ſingulæ ſecum invicem communicant, diverſos, exprimant. In ſyncope, ſenſorii excitatio haud mediocriter, magis etiam in asphyxia, debilitatur. Nihilominus tamen talis excitationis gradus, qualis ad ſenſorii reactionem efficiendam valeat, adhuc reſtat.

Pro ſignis mortis diagnoſticis hæc inſervient: motuum in ſolidis, circulatione & fluidis peragendorum plenaria deſtructio & ceſſatio, ut non revocari amplius queant, corporis corruptionem putredinoſam poſt ſe trahens.

Cauſæ mortis univerſæ in febribus ad Capita bina, 1°. In directas, 2°. In indirectas, referri poſſunt.

I. Ad poteſtates eas directas quæ in principium nerveum ſeu vitale, ex eoque ſenſorii excitationem delentes, vires intendunt.

II. Ad eas quæ hanc excitationem indirecte afficiunt, impediunt, deſtruuntve; quales morbi ſyſtematis ſangui-

ſeri deprehenduntur. Cauſæ autem indirectæ ſæpius in directas abeunt vel deſinunt; ut inflammatio in Gangraenam &c.

Cauſæ directæ ſeſe produnt, ecce:

1°. Excitationis gradus vehementiores; 2°. Ex venenoſis, ſive ex materia qualibet noxia, genera quædam.

Syſtemati noſtro peculiare videtur, quod ſenſorii ſtatus excitati exercitium ad ejus excitationem minuendam magis minusve tendat. Unde explicabitur, cur vigiliarum ſtatus excitatus ſomnum tandem inducat. Conditiones complures ad ſtatus pervigilis operationem, hac ratione, magis minusve validam reddendam conferant. Conditiones enim iſtæ, certum ad gradum impulſæ, neceſſario ſomnum alliciunt. Somnum, ocyus ſeriusve, magis minusve conſtantem obrepere, videamus liceat, prout ſenſorii officia, ſive excitatio, vehementius leniusve in exercitium provocata fuerunt. Animi affectus violentiores, qualis voluptas dolorve, ira terrorve, cæterique, corporis agitatio, omnes, excitationis ſtatus tot tantosque convocant, quam eo usque minuere queant, uti debilitatem maximam, immo mortem ipſam, inferre valeant. Gaudii repentini & electricitatis effectus hiſce rationibus ſolummodo explicantur; nec minus motus convulſivi, quos excitationis diminutio, & debilitas, conſimilis, conſtanter inſequitur, immo non raro in mortem terminatur.

Hæcce ratiocinatio ad febres etiam accommodari poteſt. Cum enim ſanguis ad cerebrum impulſus, ſenſorii irritationi & excitationi promovendæ præcipue inſervit, prout ex hæmorrhagiarum effectibus in ſyncope inducenda, & ex aliis exemplis compluribus conſtat; & ſiquidem hujus impetus exceſſus excitationem hancce diminuere conſuevit; vis febris debilitans, & quo tandem pacto caloris ſtadium, ſive impetus auctus, cum febris cauſis propriis & viribus medicatricibus reagentibus concurrat, immo quatenus hujus repetitio ad mortem inferendam conduxerit,

exin-

exinde patebit. Hiſce fidem conciliavit Cl. Pringle in hiſtoria de febre Caſtrenſi, in qua paroxismos pauciores robuſtiſſimos ſummam ad debilitatem redegiſſe aſſeverat. Hæc cauſis febris ſedantibus, ſicuti miasmati & contagio, ſeu nonnunquam ſudoris evacuationibus, cæterisque, immodicis, temerario attribui poſſit: Paroxismos autem hosce, ſudore imperfecto, aliquando etiam vix conſpicuo, evenire notatum fuit. Addamus liceat, quod conditiones aliæ febris cauſas ſedantes non acriter ſæviiſſe comprobant. Hinc veriſimile videatur, quod debilitatem, a febre inductam, virium medicatricium & ſanguinis, ſub ſtadio caloris ſenſorium vehementer excitantium impulſui, ex tuto attribuamus oporteat; & hac ratione eveniat, uti mors febrem, cauſis febris ſimul coöperantibus, inſequatur: Quod etiam a Cel. Cleghorn dilucide confirmatur. iidem innuit Boerhaavius: Athleticus valens febri ardente laborare incipit, habet calorem, impetum ſummum & delirium, tamen eſt robuſtiſſimus longe fortior ac ſanus, ut coërceri non poſſii, ſed ille æger impetu aucto debilitatur, ut cadat in Lethargum & ſic moritur. nonne eadem via explicatur caſus a Cel. Morgagnio relatus; ubi in febre acuta, motus convulſivi feroces & delirium ſæviebant, die morbi ſeptimo æger moriebatur, læſio tamen nulla, nec in cerebro, nec in ullo alio loco inventa fuit. Vir ſagaciſſimus addit, qnod poſt graves aut citius opinione interimentes febres, vix quidquam, interdum ne vix quidem compertum ſit, quod earum gravitati, aut impetui reſponderet, usque adeo id ſæpe latet per quod febres interficiunt.

Poteſtatum directarum caput alterum ex venenorum ſeu virium nocentium generibus quibusdam conſtat.

Putredinem vim noxiam vitæ perniciofiſſimam, in corpore mortali obtinentem, mortis cauſam ſubitam inferre, videamus liceat. Sic gangræna ſeu ſphacelus, inflammationis ſeu cauſarum aliarum ſequela, ſedantium aliarum adinſtar, debilitatem prius in ſenſorii officiis notatam in-

ferens, & exinde robur viresque functionum cæterarum extenuans, eosdem effectus funeſtiſſimos introducet. Effectus hujusmodi ſæpenumero ſeſe manifeſtant, cum, per temporis moram breviorem, fluidorum ſtatus generalis in putredinem vergens, qualis ad circuitum prorſus inepta reddat, vel ubi materiam putridam, prout cauſam ſtimuli indirectam intueamur liceat, adhuc obtinere nequeat, vi nervea tota per vaporem ſubtiliſſimum vires ſuas exercere videtur: Hoc enim non efficitur partis ſolius deſtructione cui applicatur; cum ea fortaſſis absque vitæ periculo amitti vel interire potuit.

Miasma & contagium viribus quam maxime ſedantibus prædita ſunt; & dummodo ſenſorii energiam ſuperare valerent, mortem inducerent. Contueamur contagionem peſtiferam, malignam, putridamque, apud Maſſilias digraſſantem, ſub qua, paucis poſt morbum inceptum horis, mors evenire non raro conſuevit. idem arguunt Hoffmanni verba. ſuſcepto ipſo: ſcil. miasmate virulento, ilico vires tam naturales, quam vitales & animales langueſcere incipiant omnes, in perfecte ſanis corporibus ſalva adhuc ſanguinis & humorum crâſi, & a corruptione immuni, virium languore, vertigine, morte afficiente.

Hæc autem venenoſa vires ſuas rationibus diverſis exſerere queunt.

Principio, ex contagio ſive miasmate inductis, uti in peſte cæterisque nonnunquam evenire ſolet, prorſus pendere, & in iis recidere, poſſunt. vid. Diſeaſe Old Bailey London. & peſt. hiſt. Sydenh. &c. In quo caſu viribus adeo graviſſimis polleant, uti homines confeſtim trucident. Vel etiam copia quantum ſufficiat introire nequeunt, adeo uti ſtatim interimant; cum excitationis tamen exceſſu ſymbolum ſuum conferentia, paroxismos inter pauciſſimos mortem inducere valeant. Nonnunquam tamen impetu ne vix aucto mors ſequitur, probat caſus qui Morgagnio obvenit. Homo annos triginta natus, febre lenta corripitur, vires ſemper deficientes, tandem moritur, nihil

nihil tamen præter naturam quæ mortem induceret diſſectione inventa fuit. Miasma & contagium præter actionem in ſyſtema nervoſum, nec minus in fluida fermenti modo, fructus acerbos haud raro edunt; & ſibi quotidie acceſſiones multiplices efficientia, & materiem generantia quæ ſenſorii excitationem delere valeat.

Vaſorum laxitas, & fluidorum diſſolutio, ab impetu aucto, miasmate putreſcente, cæterisque, in hoc fermentum munus ſuum conferre queant, & exinde effuſionibus, quæ putridæ evadunt, & mortem inferunt occaſionem præbebunt; uti in febre putrida, peſte, exanthematibus &c ſæpius evenit. Diſſectiones univerſæ gangrænam & ſphacelum inter cauſas mortis in febribus creberrimas exſtitiſſe conſentiunt: His autem, ſive in corpore generatis, ſive eodem introductis, ſive quod ſæpe ſæpius accidit, coörtis ab inflammationibus in gangrænam terminantibus, origo ſua ſuppeditatur. vid. diſſect. in peſt. apud Maſſilias, & diſſect. Cel. Pringle, Cleghorn, Valſal. Morgagn. Hoffman, Bonnet. &c.

In Hoffmanno hoc notabile eſt, ait, ego certe plena teſtari poſſum fide, quod omnes eos quos ex febre quadam acuta obiiſſe novi; ex inflammatione ventriculi, inteſtinorum vel meningum ſuperveniente, deceſſiſſe deprehenderim, idque non modo ex ſymptomatibus dijudicavi, ſed ex diſſectionibus quas adminiſtravi. propoſitio ſine dubio nimis generalis, & ex ipſius auctoris aliis ſententiis repudiare facile eſt.

In febre equidem inflammatoria ſeu ſynocha, ægri plerumque inflammatione meningum, vel etiam aliarum vitalium partium, ut pulmonum, ventriculi, & inteſtinorum ſphaceloſa pereunt; & reipſa inflammationes corpus humanum multoties excruciant & mortem inferunt: ut auctor idem recte inſtruxit. Ex qua cauſa eventus funeſti in ordine Phlegmaſiarum & Exanthematum plurimorum. Typhus etiam, febris Carcerum, & putrida, inflammationibus in partibus vitalibus & præcipue in cerebro ſæpius comitantur, ut Cel. Pringle & Hoffman prodide-

runt & diſſectiones perſpicue declarant: in febre autem putrida, non ſolum inflammatio in partibus vitalibus, & exinde gangræna; ſed nequaquam raro univerſa diſſolutio & corruptio ſphaceloſa locum habet. immo Phthiſis qui, vel ex Tuberculis ut ſæpiſſime evenit, in pulmonibus hærentibus; vel harum partium inflammatione & ſuppuratione, ortum ducit, hoc iter quoque ad mortem ſequitur; ut ex eventu funeſto, mihi ipſi eheu nimis triſti, conſtat, cum fratre delecto me orbavit, cujus piam memoriam ſine lachrymis vix ſuſtineo; in hoc enim morbo, cura ſi fieri poteſt, nihilo ſecus abſolvitur quam inflammationi & ſuppurationi in pulmonibus obſtare.

Auctores Celeberrimi, ſenſorii texturæ ſtragem, ab impetu aucto, quæ in febribus evenire ſolet, eſſe mortis cauſam, contenderunt. Forſan vero vaſorum diviſiones ramoſæ ſententiæ hujuſmodi nonnihil adverſari videntur. In cerebro affectiones complures topicas ineſſe, vita tamen per longum temporis ſpatium adhuc ſuperſtite, teſtimonia palam confirmant. Notare quidem liceat, cerebri vulnus leviuſculum, ſubſtantia medullari læſa, mortem inducere; quæ utcunque hoc in caſu, irritationi, convulſiones & excitationem tam violentam inferenti, uti vitam deleat, attribuenda ſit. Iisdem rationibus nonnunquam eveniat ut affectiones ſenſorii topicæ, in febre, excitationem adauctam, adeoque mortem, febris cauſis una concurrentibus, inferre poſſint. Visne igitur ut ad vires ſtimulantes referamus: nonne auctoritatem dant, exempla de quibus Morgagnius mentionem facit. deliria phrenitica non ſemel in febre vidit, poſt mortem tamen vaſa cerebri tantum turgida inveniebantur.

Cauſæ Indirectæ. Hæ ſunt quæ ſanguinis circuitum intercipiunt, quales inflammationes in pulmonibus, abdomine, & cerebro, & exinde effuſiones & gangræna, omnino fere referri poſſunt. Hinc in directas plerumque finiunt. ex diſſectionibus a Cel. Haller. Moragn.

Hof.

Hoffm. Boerh. adminiſtratis, poſt pulmonum affectum peripneumonicum fatalem; eos ſanguine repletos inſtar carnis & inflammatos inveniebant. Poſt phrenitidem etiam funeſtam vaſa cerebri ſanguine infarcta & non raro eum huc illuc effuſum, ſicut & ſerum. vid. Rhod. quoque. In cerebro & vaſis nonnunquam polypoſas concretiones, mortem non raro ſequentes; reperiebant.

Omnes mortis cauſæ multifariæ, ſupra memoratæ, ad tria capita, nempe ad exceſſum virium *ſtimulantium*, *ſedantium*, & *Septicarum*, redigi queunt.

Vires Stimulantes, quæ in ſpasmi exceſſu producendo vigorem ſuum intendunt, acceſſus ſtadii caloris frequentiores impellunt, & violentiores urgent; qui viciſſim excitationis exceſſum concitant, & exinde debilitatem & mortem, virium medicatricium exceſſu & cauſis febris concomitantibus, inferunt: Hæ vero ratione magis peculiari robur ſuum noxium exercent, dum pulmonum, abdominis, & cerebri, affectus topicos ſeu inflammationes inducunt. Mortem vero rarius abſque partium iſtarum vitalium affectu quodam topico producunt. Rheumatismus, raro mortalis quippe qui articulos tantum afficit, hujus veritatem ſatis oſtendit. Affectus hicce ſenſorii topicus excitationem adauctam & mortem adducere queat. In Pulmonibus, Cerebro: & Abdomine, rubri ſanguinis congeſtiones, effuſiones nonnunquam accedunt, quæ circulationem impediunt, compreſſionem; excitationem, & mortem inferunt. Ex his etiam cauſis omnibus in hisce locis, gangræna & materiæ putridæ procreatio ſæpius fovetur.

Vires Sedantes. Hæ vero debilitatem inducendo noxas creant, quæ certum ad gradum provecta ſenſorii excitationem interimit: Hæc autem debilitas in ſyſtema, recta via, per miasma &c. (de qua ſtatim) introduci, aut in eodem, a febrium cauſis & effectibus generari & multiplicari queat.

Vires Septicæ. Hæ vel ex miasmate, vel inflammatione,

ne, vel univerſa diſſolutione & putredine inductæ, non ſolum virtute ſedante in univerſum pollent, & iisdem rationibus quibus ſedantes, modo memoratæ, munus infauſtum peragunt, ſed inſuper effuſionibus promovendis ſaniem, adhuc magis ſedativam & exitioſam procreant.

Hæ cauſæ in generibus febrium tribus principibus, viz. Inflammatoria, Nervoſa, & Putrida, obveniunt; &, ex ſupra dictis de iis, vires in febre præcipuas nocentes actuoſas, immo in claſſe pyrexiarum, magna ex parte, quæ dignoſci merentur, adjudicare pares erimus.

Dictum fuit, poteſtatum trium iſtarum exceſſum, ſenſorii excitationem, qua vitam niti hactenus affirmavimus, abolendo, mortem efficere; nunc ad ſymptomata, quæ poteſtatum earum trium prævalentiam indicant, ſingula quantum res ſinit diſcutienda progrediamur.

„ Si ulla in univerſa arte noſtra doctrina inſigni utilitate ac fructu ſeſe commendat, atque etiam ad tutam, & auſpicatam medicationem, & ad verum de morborum eventu judicium, expeditam, viam pandit, profecto ea eſt, quæ morborum genuinas cauſas perſpicue tractat, & quomodo eæ recte cognoſcendæ ſint clarius exponit". Hoffm.

Huic Hoffmanni præcepto obſequium debitum præbeo: modus tamen quo hæc tracto ſingularis eſt: nam ad Capitis ſinguli initium, hiſtoriam febris propriæ, prout ab auctoribus depingitur & in ægris obvenit, & ſub etiam titulo terminationum ſingularium communium ſymptomata, ſeu in ſalutem vel mortem, exhibeo. Sed præprimis, ſymptomata ad tres proprias claſſes relego; ſic ſub viribus ſtimulantibus, ſymptomata quæ has vires ſolas regnantes indicant, recenſeo; cauſa autem morbi nota, cura facile inſtituatur, in Diagnoſi etiam & Prognoſi formanda tutius incedimus. Sub Viribus Sedantibus quoque ſymptomata analoga annumero: iidem autem normæ ut in altero, ſtricte adhærere impoſſibile fuit, hæc enim Debilitas variis modis & a cauſis diver-

diverſis inferri poteſt; puta a viribus Stimulantibus tandem Debilitatem inducentibus, miasmate, gangræna, putredine, a variis fontibus exortis. &c. Hinc notatur, quod hæc ſymptomata ſub ſecundo titulo, ad febrem non ſolum accomodantur, ſed Debilitatem quocunque modo a febre inductam, monſtrant, ex dictis tamen, & quæ adhuc ſequuntur, ad exactam dignotionem & genuinas ſymptomatum cauſas non raro pervenire poſſumus, & lectoris ignorantiæ ſuſpicionem argueret, ſi diutius inſtarem. Cum autem hæ vires ternæ in morte inferenda, per omnes fere febres latius regnant, & iisdem viis ferme ac in his tribus quas deſcribo dominationem funeſtam exercent, & naufragium faciunt: Quam ampliſſimam applicationem hæc ſymptomata admittunt, facile quilibet etiam me non monente perſpiciet.

Difficultas alia maxima præſto eſt, quia ſæpius harum trium virium non una ſemel ſævit, ſed frequenter duæ vel omnes ſimul conjunctæ; & in diverſis ſymptomata majora, minora vel pauciora diverſe excruciant: accurata igitur diſtinctio, omniumque circumſtantiarum penſitatio accedere debeat, quo eventus & cura, formato ex iis judicio reſpondeant.

Veteres enim non ex integris morborum hiſtoriis & obſervationibus, ſed ex paucis tantum circumſtantiis ſuas regulas prognoſticas, quarum maxima copia in Hippocratis & aliorum, qui hujus veſtigia ſequuntur, monumentis reperitur, deduxerint, non mirum eſt igitur eas rarius reſpondere, ſed ſæpins fallere. Deinceps quia veteres vera medicina rationali deſtituebantur; cum neque vitæ, neque morborum aut mortis, in quo poſita ſit, naturam atque cauſam intelligerent, & ſtructuræ corporis humani atque ex ea pendentium motuum ignariſſimi eſſent, non poterant etiam ex obſervationibus licet pleniſſimis, veras cauſas ac notas & ſigna futuri eventus, ratione ſalutis & mortis, multo minus operationes diverſas remediorum exinde convenienti modo

ac ratione elicere: denique multis quibus hodierna ditis eſt medicina auxiliis deſtituebantur: ex quo utique ſequitur, veteres hanc medecinæ partem mere empirice tractaſſe, hinc præcepta innumerabilia incerta, nonnulla forſan falſa nobis traduntur.

In acutis morbis fallaces magis notæ ſunt & ſalutis & mortis Hipp. Celſ. &c. ecce autem ſeſe offerunt.

I. *Febris Inflammatoria*, ſeu Vires Stimulantes.

Continua non putris Boerh. Synocha ſive febris acutæ ſanguinea Hoffm.

Gliſcit morbus hicce in regionibus & tempeſtatibus frigidioribus: In robuſtos, & temperie ſanguinea præpollentes, impetum facit; repentinus invadit; laſſitudine & horrore non multum ingraveſcentibus; ſenſorii functiones parum turbantur, appetitus non prorſus deletur; a contagio epidemico rariſſime concitatur; &, ſi recte tractatur, ut plurimum, intra dies quatuor, ſeptenos vel, undenos, ſudore, urina turbida, vel narium hæmorrhagia, terminatur. vid. Hoffm.

Quin etiam ſymptomatis aliis inſequentibus internoſcitur; pulſu citatiore, frequenti, valido, duro; ſanguine detracto ſuperficiem coriaceam albam oſtendente; calore magno & ſenſibili, ad tactum urente; lingua ſicca, arida; ſiti vehemente, omnium frigidorum appetentia, cute arida, narium ſiccitate, urina parca & coloris rubrioris, ventre aſtricto. Per morbi decurſum, remiſſiones parum notabiles. Exceſſus hicce virium ſtimulantium ex omnibus mox memorandis minime periculoſus; quippe quum penes nos ſit, easdem, præcipue generales ab impetu ſuo defringere. Nam multo facilins eſt motus excedentes impetuoſos componere, ac ſedare, quam deficientes plane revocare & excitare, Hoffm. Quando vero Caput verſus, Thoracem, vel Abdomen, topice determinatur, periculi multum ſecum adfert; uti poſtea annotare locus erit. De his autem ordine.

Pulſus. Arduum prorſus eſt inter pulſuum diverſita-

tem

tem rite internoſcere; quippe qui latitudinem ſatis amplam admittunt, &, ætatis ſexusque reſpectu, in variis varie occurrunt. In infantulis & fœminis delicatulis quibusdam, arteriarum pulſus, minutis ſingulis, ictus prope 120. ſine periculo præbent: Cel. Hallerus pulſum febrilem ad ictus 90., horæ momento, collocavit. Magnum pulſum facit arteriarum plenitudo preſens, cum vi cordis magna conjuncta; parvum arteriæ inanitas, & unda minor a corde ſubmiſſa. „ Durus deſignat obſta„ culum, ſtimulum, vim cordis auctam, cum craſſiori „ ſanguine, vel arteria rigidiore aut obſtructa: Celer „ ſtimulum, obſtaculum, cor ſenſibile & irritabile ". Haller. prim. lin. Phyſiolog. Pulſum autem, velocitatem, robur, magnitudinem, tenſionem, & inæqualitatem, perpendamus liceat.

Velocitas vocabulis binis, *citatioris* aut *frequentioris*, exprimitur. Prius ad ictus rapiditatem, poſterius ad iterationem, reſpicit. Pulſus citatior ultra 100. dignoſci nequit; diatheſin phlogiſticam & irritationem oſtendit: frequentior imbecillitati debeatur, quæ irritabilitatem augebit; ſin vero plenitudo, robur, & præcipue durities, eum comitetur, ex neceſſario prout irritationis & diatheſeos phlogiſticæ ſignum habeatur: Plenus, ſatis fortis, in ſymptoma ſatis auſpicatum evadit, & ſudores criticos plerumque præcedit: Crebrior, minutior, irregularis, & contractus, imbecillitatis ſpasmique concurſum periculoſiſſimum denunciat. pulſus inæquales ſemper mali.

Difficillimum omnino foret, pulſum contractum a minusculo, ex debilitate exorto, diſtinguere: Is autem ſuccreſcens ex venæſectione, contractum fuiſſe palam indicat. Pulſus irregularis imbecillitati plerumque debetur. Pulſus, ubi ictus 120. vel 130. ſingulis minutis ſuperat, periculi inſignis indicium oſtentat, & inflammationem cerebri ſecum comitem multoties adfert.

Sanguis ſuperficiem coreaceam albam oſtendens in genere

 dia-

diatheſeos phlogiſticæ ſignis adjungatur. Vaſorum ſeu pelvis conditio quædam, & ratio qua elicitur, ſpecies ejusdem varias exhibebit. vid. de Haen.

Calor magnus. Calor cum cordis actione & ſanguinis circumeuntis ſtatu nexum inſignem tenet. Calor magnus irritationem in ſyſtema ſanguiferum adhibitam, & vires ſtimulantes, indicat; rationem eandem cum ſtimulis applicatis, qui caloris excitatores magis univerſaliter ſenſebantur, conſervat. Calor auctus ope thermometri exploratiſſime dijudicatur. Eundem *Oris Narium & Linguæ* ſtatus indicant, prout poſterior plus minusve ſcabritie cooperitur. Ex calore aucto præcipue, partium fluidarum, ad linguæ papillas emolliendas, exhalatio cietur; unde partes craſſiores a tergo demorantur, & cruſtularum cum caloris gradu & diuturnitate ratio magna conſervatur. „Omni enim tranſitu vitalis liquidi impedito, cruſtæ gangrænoſæ quaſi factæ, ſuperficiem linguæ, faucium Oeſophagi &c. tegunt, ex qua cauſa haud raro difficilis deglutitio & vox clangoſa a ſiccitate partium. Swieten". Horum fluidorum ſecretionem ſpasmus quoque impediet, & ſiccitatem adaugebit; cum vero cruſtulæ decidunt, ſpasmum amoveri, & febrem ſolvi, denunciant.

Sitis Magna. Calor ab hac non ubique deſignatur. Nam, ſub ſtadio frigoris febrili ubi obvenit, a conſtrictione ſpasmodica concitatur: Sub ſtadio caloris, ex humiditatis naturalis exhalatione & inedia promovetur. Irritationem inſignem, in ſyſtemate prævalentem, ſignificat. Nonnullis in caſibus, ad ventriculi ſtatum putridum attribuamus oportebit. Siccitas etiam, per corporis ſuperficiem diſperſa, cum calore interno rationem eandem ſimul obtinere queat. Ex hoc vero, ſpasmo ſimul auxilium conferente, caloris aridi urentis cauſa explicatur. Quinetiam cutis humida, quæ pulſum molliorem, pleniorem, aut minus frequentem, ſibi comitem non adjungit, virium ſtimulantium exceſſum demonſtrat. In diabete hyſterica,

per-

perſeverante adhuc ſpasmo, ſecretionem nihilominus augeri, ſatis novimus.

Urina parca & Colore magis rubro. Ex urinæ diminutione & corporis emaciatione ſubita, in febribus, perſpirationem ad gradum magnum incedere, quæ, una cum ſpasmo cæterisque, urinæ quantitatem imminuit, arbitremur liceat; & cum calore, qui viciſſim cum circulationis ſtatu præfinito nexum tenet, rationem inſignem conſervare. Calor fortaſſis, urina partibus tenuioribus defraudata, colorem rubrum præbet: Hæc urina vires ſtimulantes oſtendit, in paroxismo calido ita prodit. Cum autem ſedimentum bonum dimittit fauſtum: quibus morbi ſeptima die judicantur, iis nubeculam rubram urina die quarto continet: Hipp. Hoffm.

Dictum eſt, febrem inflammatoriam periculum præcipue ſecum adferre, dum una cum determinatione topica, uti in caput, pulmonem, & abdomen, conſociatur.

Determinationes topicæ caput verſus. Caput in febre potiſſimum opportunum eſt ut afficiatur, & nulla inflammatio majoris momenti, quum in parte omnium nobiliſſima ipſius animæ rationalis domicilio, conſiſtit. Hæ vero capitis affectiones topicæ ſic dignoſcuntur. Pulſant vehementer arteriæ Carotides & temporales prope caput, oris rubor & ſuffuſio adſunt. Cavendum vero ne pulmones obſtructione ſimul afficiantur, ſcil: ſanguinis ex capite regreſſum impediente, ſin hoc non obveniat, cordis & arteriarum impetum auctum, ad caput maxime determinatione vergentem, oſtendit, ſomnus perturbatur, æger dat ferox reſponſum, præter conſuetudinem aliquid facit, oculi præcipue adnatæ vaſa, tumidi ſcintiliantes rubrique: ad lucem ſonumque ſenſibilitas adaucta, & ejusdem intolerantia, lachrymarum fluxus involuntarius fit, oculi ſæpius moventur. Oculi audacia delirii ſignum eſt, „ ait Hippocrates: in lecto continuo ſe jactitat æger, vultus ferox; dentium ſtridor, dolor capitis acutus, vigilium pertinax, omen malum: floccorum collectio: delirium

ferox vel typhomania obſervantur: ideæ variæ ridiculæ mentem infeſtant, latrones adeſſe concipit æger, & nugæ gaudio vel timore facile afficiunt. Hæ notæ ſunt inflammationis cerebri topicæ; & omnibus concurrentibus, de ea dubitandi nullus locus erit; neque ulla ambiguitas de omnium Symptomatum cauſis aderit: excepto delirio phrenitico, ſeu inflammatorio; quod a loquelæ & ratiocinandi modo & incohærentia, agitationum & animi affectuum violentia, ira, furore, inquietudine, & e lecto ſurgendi deſiderio, &c. ſatis internoſcitur ab alio mox memorando, ex diverſa cauſa profluente. Delirium hujusmodi perinde ac ſymptomata reliqua, cerebri ſeu membranarum ejus inflammationi, ut plurimum his ſignis concomitantibus lethiferæ debetur.

Si morbus hicce adoleverit, vix curari poteſt, ſomnus primo turbulentus eſt, tunc leviter delirat homo, poſtea penitus deſipit, non multum poſt, in furorem incidit, hebetudo tandem maxima; hanc ſequuntur, convulſio, mors; vel paulatim criſis ſalutaris & convaleſcentia.

„ Si hanc cerebri inflammationem jam deſcriptam, ſubſequitur convulſio, cujus prima veſtigia ſunt tendinum ſubſultus, faciei & oculorum diſtractio, ſeu ejusdem tetanus, tandemque, totius corporis motus convulſivi, mors." vid. Boerh. Swieten.

Galenus notat, „ſi in ardente febre, tenuis & alba urina appareat, deſignat phrenitidem, ſi vero jam adeſt phrenitis; (i. e. inflammatio in cerebro) & talis urina appareat, prædicimus mortem."

Delirium hic pro inflammationis in cerebro ſymptomate traditur; ex ſanguinis autem in capite impetu aucto, nondum adhuc in veram inflammationem degenerato, proveniat, ut in paroxismi intermittentis ſtadio calido, videre liceat. de hoc & de convulſione plura poſtea.

Determinationes topicæ Pulmones verſus, ſeu illorum inflammatio, ex Pulmonum indole & officiis, huic maxime objiciuntur. Notæ ſunt, reſpiratio crebrior, in thorace

race anxietas, ſpirandi difficultas; tuſſis dolentiſſima, haud raro cruenta; decubitus difficilis: æger ſive caput erigi cupit, ſive in latus affectum decumbere non ſuſtinet. Per ſymptomata pleuritica & peripneumonica magis perfuncte ſeſe produnt hi affectus. *Symptomata pleuritica.* Dolor uni parti lateris affixus, pungens; inſpiratio dolens, decubitus difficilis, tuſſis quoque moleſtiſſima. *Symptomata peripneumonica.* Sub ſterno, vel inter ſcapulas, dolor obtuſus; tuſſis, anxietas, ſpirandi difficultas, vultus colore purpuraceo tumidus. Pulſus aliquando mollis: Hicce affectus infarctionem & periculum magnum indicat. cito jugulans niſi venæſectione &c. ſublevatur. Expecteratio facilis, & quo citior hoc evenit; eo ſpes ſanitatis major; materies primo ſanguine tincta eſt: reſpiratio liberior, doloris, anxietatis & febris ceſſatio &c. bona ſigna, contraria, mala. Ubi in febre non intermittente difficultas ſpirandi & delirium fit lethale, Hipp.

Determinationes topicæ in Viſcera abdominalia, ſeu eorundem inflammatio. Viſcerum iſtorum inflammationes congeſtionesqne effuſionibus & exinde ſphacelo procreandis opportunæ ſunt. Ecce ſymptomata! Abdomen tenſum, tactu tenerrimum, dolet. Doloris ſedes, ardor intenſus, & cætera, ad partem affectam indigitandam ducit. Vomitus inceſſans, diuturnus, ſi hauſtibus ei ſalinis ſeu opio adhibitis ſuccurri nequit, inflammationem in ventriculo præcipue, ſeu in viſceribus aliis abdominalibus, latere, ſuſpicionem validam ſuggerit; in priore anxietas ſumma & inquietudo affligit & ſingultus non raro comitatur. A vomitu ſingultus, & oculi rubri malum. Hipp. Hypochondriorum inflatio & tenſio eandem inflammationem in hiſce viſceribus accenſam oſtentat. In hanc antiqui magnam attentionem impenderunt. Hepar & lienem, diſſectionibus inſtitutis, molem, ex ſanguinis accumulatione, ſtatum naturalem binis vicibus ſuperare, non raro deprehenſum eſt, in intermittentibus, utcunque, hæc præcipue evenit. Cum ſymptomata reſpirationis difficilis, & pulmonum affectus,

de-

deſunt; perdurante vero decumbendi difficultate, ſeu dolore in regione abdominali, ex poſitura ſingulari percepta vel aucta, inflammationem oſtendunt. calor ſummus ad interna, frigus vero ad externa, malum. Hipp. univerſus calor non tam malus, quam localis, nam inflammationem indicat, Boerh.

Harum inflammationum in gangrænam terminantium ſymptomata breviter attingere licet, quod metuendum ſit, cum ſubito dolores remittunt, circa pectus gelidi ſudores profluunt, pulſus debilis, & intermittens, vel penitus deficiens, virium lapſus, extremarum frigus, vultus pallidus fædus, facies Hippocratica &c. arcis propemodum debellatæ ſigna.

" Si autem vitalia viſcera, gangræna, ex febre nata occupentur, brevi plerumque mors ſequi ſolet" Swieten, Hoffm.

Rarius hæc febris, & non niſi maligni quippiam cum eo complicatur, per alvi fluxum terminatur. peſſimum etiam & plerumque mortiferum eſt indicium, in hac febre, quando alvus diu cohibita, ſponte miram quantitatem, fæcum bilioſarum & corruptarum, ſimul & ſemel, junctis terminibus, profundit, inteſtinorum ſphaceli ſignum eſt, ut ex cadaveribus defunctorum compertum habuit Hoffmannus. „ Inflammationes die ſeptimo nono vel undecimo febris, partes vitales invadentes, periculoſiſſima plerumque mortifera", Hoffm.

II. *Febris nervoſa ſeu Vires ſedantes.*

Hæc in regionibus & tempeſtatibus calidioribus maxime prævalet: Ut plurimum a contagione ortum ducere notatur & plures eodem tempore afficere. Habitus debiles oppugnat: initio, progreſſus tardiores facit; & laſſitudo per dies plures ante febris acceſſum invaleſcit. Senſorii functiones admodum turbantur. Calor ſaltem ex magna corporis parte, parum auctus. Fluxus ejusdem, utcunque, repentini inceſſunt. Venter abnormis, principio per paucos dies, exacerbationes & remiſſiones, veſperi ingruentes, ſollicitant; poſtea, obſcuriores evadunt. Corporis

robur

robur magnoperè imminuitur; appetitus proſternitur; nauſea, & haud raro vomitus, excitantur; ſomnus exiguus, ut plurimum, interturbatur; nec non delirium & typhomania concomitantur. Animus dejectus: Urina pallida ſedimentum nullum demittit: Vultus palleſcit; corporis partes extremæ, pedesque, præcipue frigeſcunt. Morbus per hebdomadas binas ternasve plerumque procedit; &, in Criſin aut ſolutionem nequaquam ſenſibilem exiens, haud raro terminatur.

Nunc ad ſymptomata, virium ſedantium exceſſum indicantia, ſingula perpendenda adventum eſt. Hæ vero a miasmate atque contagio, debilitatem binis modis inferentibus, induci poſſunt. Auxilium vero conferentes, paroxismorum præcipuè repetitio, nec non timor, deſperatio, evacuationes immodicæ, ſive naturales, ſive arte inductæ, cum cæteris, eas potentiores reddent. Febris inflammatoria in typhum non raro terminatur; quod in regionibus ſeptentrionem magis ſpectantibus ſaepius accidit.

Vires ſedantes, prout functiones animales, vitales, naturales afficiunt, intueamur liceat. Functiones animales ad motum ſenſumque rediguntur. Motus debilitas ex duobus generibus conſtat: 1. Prout motus imbecillitatem ſimpliciter; 2. Prout motus irregulares imbecillitatem denotantes, exprimunt. Hæ quoque functiones, motus voluntarii organa, ſenſus internos & externos, ſomni & vigiliarum officia complectuntur. Functiones vitales hæſunt quæ in circulationis & reſpirationis. Naturales quæ in appetitus excretionumque, officiis occupantur.

Debilitas in Functionibus Animalibus.

Principio, in functionibus motus voluntarii. Hujus progreſſus graduumque veſtigia perſequamur. Initio, debilitas & laſſitudo; roboris muscularis jactura notabilis. æger ſe erectum ſuſtinere non valet; ſed corporis poſitura, in qua musculi pauciores occupantur, opportunè ſublevatur. Primo conſidet, dein decumbit, & ſeſe in lecto gradatim circumagere non poteſt. Capite paululum ſub-

levato, in lectum ſenſim delabitur, quaſi cadaver jacet; & genua utrinque poſituris erecta ſtant affixa, quo ſe ſuſtineat; debilitatis ſummæ ſigna. Oculi langueſcunt, motus propemodum expertes: & rebus objectis parum attenti. Vultus quoque dejectus. Quinetiam motus irregulares, imbecillitatem denunciantes, motus convulſivos & ſpasmum inferentes obſervantur; quales, linguæ manusque porrectæ tremor, & ubi conatus leviuſculos tremor motusque convulſivi comitantur. Tendinum ſubſultus, & dentium frendor. Hi vero, licet ad imbecillitatem ſæpe referantur, non raro tamen una cum irritatione complicantur. „ Atonia gignit ſpasmum," inquit Hoffmannus. Ita quidem oculi ſpasmo afficiuntur, ad dimidium adoperti, prominentes, transverſa tuentes, albore tantum conſpicuo, cernuntur. Hæc ſymptomata debilitatem, & periculi multum, oſtendunt. Hæmorrhagiæ ferociores motus convulſivos exſuſcitabunt; quod eos viribus ſtimulantibus ubique non deberi ſatis indicat.

Symptomata Debilitatis prout in Senſibus & Animi conſtantia, ſomno & Vigiliis, occurrunt.

„ Integritas judicii pendet a bona cerebri conſtitutione, eo compreſſo, irritato, exhauſto ſanguine, fabrica cerebri mutata, confunditur omnis rationis uſus, repræſentantur animæ pro externis objectis verisque; ſpecies prævalidæ internæ, abrumpitur nexus idearum, ut anima non comparet ideas, neque adeo earum æqualitatem vel diverſitatem pervideat, ſed ſaltu ab idea ad diverſiſſimam ideam transeat: vel denique deletis, impeditis ſenſuum actionibus, evacuato quaſi ſpeciebus cerebro, homo ad ideotæ plantæque conditionem redeat; ſed in ſanitate, corporum externorum vires, aer, vita, genus, conſuetudo, cibus &c. judicii firmitatem multum variant" Haller.

Hæc quidem debilitas per tonum mentis indicatur. Ita dejectio & desperatio per mentis ſenſum vultumque præcipue ſignificatur. Haud aliter cel Hallerus: „ Neque

que hoc diſſimulandum eſt, Creatorem affectibus animi ſuos characteres aſſignaſſe, ne homo in ſociali vita homini facile imponeret. „ Proprii imprimis in voce, facie, oculisque, musculi ſingulas paſſiones mentis ita fideliter exprimunt, ut etiam a Pictore ræpreſentari posſint." Immo animalia bruta dignoſcunt. Audi quid philoſophus antiquus Socrates inquit: qui nullo affectu ſe poſſidere ſinebat niſi lætitia. Sopirus vero phyſiognomus eo conſpecto, dixit illum eſſe iracundiſſimum & falaciſſimum, hoc ridebant Socratis discipuli, ſed reſpondet Socrates, [redacted]. Unde etiam genus dicendi vulgare.

Naturam expellas furca licet usque recurret.

Hæc enim anima, adeo diverſa a corpore, arctiſſimis cum eo ipſo conditionibus religatur; quæ & cogitare cogatur ad eas ſpecies quas corpus ipſi repræſentat; & absque cerebri corporeis ſpeciebus non videatur aut meminiſſe poſſe, aut judicare. Sic doctiſſimus Pope canit.

So caſt & mingled with his very frame
The minds diſeaſe its ruling, paſſion came.

In febribus animus plerumque proſternitur quod a cauſis moralibus forſan augeatur, & ejusdem affectus diverſi, ſua vice, diverſas corporeas mutationes inducent, functionesque varie afficient. Nec ſecus Cel Gaubius „ mens nimirum corpori ſuo, dum vita viget, intime implicata eſt; ut difficulter concipere liceat tam exquiſite puram ejus operationem, quæ prorſus nihil corporeæ mutationis quoquo modo ſibi innexum habeat „ hoc cujusvis experientia confirmat; & ad hos animi varios affectus medicum atendere oportet.

Nihil magis conſpicuum quam quod certus animi tonus certum corporis ſtatum ſubſequatur, quem ſpes, alacritas, lætitia, fortitudo, vel etiam ex adverſo, mæſtitia, formido, & desperatio, comitatur. Hi autem affe-

ctus, prout ſyſtematis vigor ſeſe habeat, in genere conſentanei offenduntur. Phænomena complura in Oeconomia animali ſeſe offerunt, quæ doctrinam hance confirmant: quamvis exceptiones occurrunt. Veriſimillima prorſus ea videatur, ubi deſperatio ex morbo ipſo enaſcitur; quæque in fortiſſimos, mente licet intrepida gaudentes ingruet. animus admodum ſubito in febre putrida dejicitur, & omnem ſpem ſæpe abjicit æger, peſſima ominans.

Deſperatio hæcce per vultum quoque exprimitur in ſtatu ſanitatis, oculus huc illuc, conſtanter & velociter, mentis ad inſtar, agilis res objectas ubique contuetur: In eo, muſculorum vultus agilitas & fortitudo exprimuntur. Quandocunque vero patentius aperitur, ex una re objecta in aliam tardé ſeſe transferens, luctuoſus apparet, & triſtitiam repræſentat: vid. peſtem Maſſilienſem, ægri oculos tales habuerunt quos nemo ſine commiſeratione inſpicere potuit, quando denuo laxitas & tenſionis defectus in muſculorum vultus expreſſione conſpicitur, uti labii inferioris detractio, ex quo facies longior videatur, &c. hisce triſtitia & debilitas in actione ſenſorii commonſtrantur, vid. Lind. & Lomm. in prog.

Hæc ulterius ſe patefacit, prout facultates intellectuales & memoriam afficiat; qualis, in recognitione, & cognitionis ſerie perſequenda difficultas, ſomnium ut plurimum interturbatum nec non horrendum, delirium, & cætera.

„ Difficillimum autem eſt ob extremam hujus materiæ obſcuritatem, aut partes affectas aſſignare, aut diverſas læſionum modos, quibus ſingulæ deliriorum ſpecies oriuntur: Gaub.

Somni & Vigiliarum phænomena ad hosce ſtatus ſenſorii diverſos explicandos optime inſervirent: Hæc, utcunque, in campum nimis amplum viam ducerent. & in regnum ſcriptorum difficultatum deſcendere oportet, ſenſuum internorum ſomni & vigiliarum doctrinam totam rimare, ex qua etiam lux multa utilis nobis adfulgeret; conſultius itaque plurima de his præteribo. ſufficiat, res ipſas prout actas, ſemel propoſuiſſe;

De-

Delirii genus unum ex ſanguinis in capite impetu aucto deducimus, de altero vero ex imbecilitate magna, & vis nervoſæ inertia, a febre & cauſis ſuper inducta nunc tractamus. cauſam inter utramque tamen internoſcere haud raro difficile, cum ſæpius in febre eadem, debilitas ſeu inertia, & vires ſtimulantes ſimul ſæviunt, & in praxi difficultatem magnam faciunt. de hac poſtea. prodit Hoffmannus ſe frequenter in febre Synocha: ſeu Inflammatoria, in juvenili ætate ac temperamento ſanguineo, vidiſſe delirium diuturnum, poſt neglectam in principio Venæſectionem, ſed quando decimo quarto die, ſedimentum poſuit urina, diſceſſit demum & hoc ſine damno: ad delirium vero ſine impetu aucto, animum nunc vertemus.

Ratiocinatio tarda, irritationis & virium ſtimulantium indicia nulla, rigores frequenter utcunque, & caloris fluxus ſuperveniunt, & haud raro delirium hocce recedit, iterum iterumque rediens: vultus pallidus & languidus, motus nullatenus violenti, animi inconſtantia inſignis, & idearum potius confuſio, æger ſecum muſſitat &c. delirium generis poſterioris indicant. Hoc etiam inſigniunt Boerh. & Hoffm. delirium ſaltem ex eadem cauſa oriente, quanquam gradu augeatur, poſterior his verbis, „ poſt declinationem febris acutæ, obſervatur per aliquot dies, aut hebdomadas, quædam deſipientia & mentis inconſtantia, a phreniſi diverſa, quæ, propter ſummam virium & cerebri ex perpeſſo morbo debilitatem oritur, & redeuntibus viribus vel ſponte ceſſat, vel congruis præſidiis facile iterum penitus diſcutitur ". idem obſervat Boerh. „ ſæpe ægri ante mortem delirant quia ſpiritus tendendis nervis, non ſufficiunt ". delirium hoc in frigoris ſtadio conſpicire liceat, in quo vis nervoſæ excitationem imminui conſtat, & caloris aggreſſu evaneſcit: Medicamentorum ſtimulantium ope ſanari vidimus: Cel. Medicus viri caſus meminit, qui libras octo vini per diem hauſerat, quo delirium averteret; quod, niſi doſis repetita eſſet, ſemper recurrere ſolebat, in febre Nervoſa, malignis &c. hoc delirium non raro obvenit. Hippocras

tes dicit, deliria cum riſu tutiora, quæ vero cum ſtudio accidunt periculoſiora.

Si in delirio ſine impetu aucto ad mortem vergit, hunc curſum ſæpius ſequitur: debilitas augetur, mentis & ſenſus functiones paulatim imminuuntur, ſtupor & coma invadunt, fæces & urina profluunt, ſudores glutinoſi, gelidi ex pectore & fronte diffluunt, mortis advenientis prænuncii.

Cauſa delirii altera apud auctores habentur, ſordes in ventriculo: ſic Cel. Swieten; monitus ab optimo præceptore, frequentem ſatis delirii in febribus cauſam eſſe ſordes circa præcordia collectas, poſtea attentus huic rei vidi ſæpius hoc veriſſimum eſſe, & unico vomitorio dato, excuſſa hac ſaburra recordor plures ilico reſipuiſſe. Signa ſequentia hujus ſordis dat: lingua ſordida, ſapor amarus faſtidioſus, nauſea, vomitus, anxietas, & ulterius confirmatur ſi nulla ſigna docent alias cauſas adeſſe a quibus delirium expectari poſſit, ita ſe rem habere aſſentio, cum multa venenoſa noxia in ventriculum ingeſta hunc effectum producere queant, ſed pluribus in caſibus emeticus nauſeam ſolam creando, ſenſorii vires medicatrices excitat, ad ſuperficiem determinat, & intermittentis paroxiſmum cito ſolvit vid. quæ dicta fuerunt antea: ſordes in inteſtinis ſicut & alvus aſtricta delirium in febre augere vel excitare notantur.

De connectione intima animum inter & corpus & ſympathia reciproca antea dictum fuit, de cauſis etiam corporeis quæ delirium in febre excitare poſſunt jam tractatur, ad animi autem affectus in his morbis, ſeu a febre ſeu a quacunque cauſa inducantur, nunc dierum nimis metuendum ſit neglectos, attendere debemus, nam pervigilium, jocularis dictio &c. in febre, ex ſe noxas multas inferunt, ſanguinis impetum in capite augent & inflammationem cito excitant; homo enim ſanus, cura pervigilio ſtudio &c. phrenitidi tandem accendi cauſam præbeat, hæ ideæ mentem occupant abripiuntque, nec aliis attendere ſinunt, functiones corporeas varie afficiunt, hinc convenire notum eſt, aliis ideis excitatis, delere illam impreſſionem, hoc explicantur, inſtrumentorum muſicorum

in

in delirio effectus nonunquam ſalutares, vid. Acad. Reg. Scient. aquæ ex alto in vas æneum guttatim deſtillantis, arborum tremulorum ſuſurri, de quibus pœta canit,

Levi ſomno ſuadebit inire ſuſurro.

Delirii ingentis ferocis in febre lenta, per dies ſeptem perſeverantis caſus Morgagno obveniebat; tamen nulla in cerebro inflammatio poſt mortem inventa fuit.

Hippocrates coma vocat „ Somnum longum qui habet difficilem expergefactionem; qua quidem difficili expergefactione, a ſomno longo naturali diſtinguitur. Somnus atque vigiliæ, utrumque, ſi naturæ modum exceſſerint malum". In quo morbo ſomnus laborem facit, mortale; ſi vero ſomnus juvat, non mortale. Ubi ſomnus delirium ſedat, bonum. Peſſimum eſt, ſi neque interdiu neque nocte dormit". Hoc non ſemper phrenitidem ſolam, ſed ſæpius debilitatem & irritationem, utplurimum inflammationem cerebri; cooperantes oſtendit: eſt Coma vigil quoque, ſive ingens inclinatio ad ſomnum, æger tamen ſæpe vigilat, & excitatur per terribilia phantasmata, hoc debilitatem ſeu inertiam & ſanguinis in cerebro impetum auctum ad inflammationem vergentem ſimul ſævientes oſtendit.

In ſingulas a variis auctoribus ſomni cauſarum enumerationes, tempus inire non ſinit, & quidem in ſomni theoria difficultatem facit ſummam, quod a contrariis adeo cauſis idem invitatur: inducunt compreſſio, evacuatio, frigus, medicamenta, venena, exercitium: irritationis defectus &c. &c. Haller. ſic circa collum laqueus, obeſitas &c. ſoporem inducunt, ex peripneumonia etiam qua ſanguinis ex capite reditus impeditur; coma oriri viſum eſt, vid. Aret. a phrenitide inferri deprehenditur, lethale ſæpe: ad finem quoque febrium exitioſam ſæpe adoritur, coma, ſtupor ſymptoma frequens in principio peſtis, ubi vires admodum proſternuntur: de comate etiam exorta in fœmina ſub febre petechiali laborante, cum debilitate in-

inſigni comitata, ad ſeptimum diem prolongata, meminit Hoffm. vino autem ſtimulantibus tandem fugato. In paroxismo frigido etiam, & ſæpius per totum, febrium quorundam Epidemicarum, maxima ſimul debilitate ſtipatarum, Coma non raro gravius præpollet, cortice autem copioſius adhibito, curatur.

Docet Boerh. in multis febribus coma fieri, in quo miſſio ſanguinis, clysmata, fotusque nil fecere, poſtea ſponte ceſſare, & pepasmo ſoluto abire, monet ſe vidiſſe domicellam multis diebus comatoſam, omnibus applicatis nil juvari, epithematis capiti tandem curata, auctor idem obſervat, febrem in Hollandia graſſari, cui curandæ interfuit, unde oriebatur ſomnolentia & quidquid in os infundebatur, deglutiebant ægri, cæterum nulla mala ſymptomata aderant, ſi modo fieret ut alutæ incumberent, aliter gangræna in lumbis ſubſequebatur.

Sydenham etiam notavit, quod in quibusdam febribus Epidemicis, homines per quatuordecim dies manſerint dormientes & ſenſibus privati, ſed tamen habentes calorem, pulſum ſat bonum, dedit juscula macilenta &c. & ſi medici aliis remediis utebantur, ægros peſſumdabant: in febre Epidemica quam Sydenhamus tractavit: quæ principio ſigna omnia febris inflammatoriæ, uti in latere dolores, ſanguis coreaciam albam oſtendens, calor, &c. exhibuit. In hoc coma ſæpe ab adortu ad dies ſeptem vel decem perſeverabat: experientia tamen compertum habuit, ut ultra venæſectionem unam cum utilitate æger ſuſtinere non potuit, quam principio peregit, & poſtea per aliquod tempus regimen antiphlogiſticum adhibuit, & ceſſavit demum; febrem hanc in typhum abire in perſpicuo eſt, cum ſæpius ægri ante dies triginta non convaleſcebant. „ Hoffmannus habet; vidi ego in febre inflammatoria, ſæpius in juvenili ætate ac temperamento ſanguineo, perpetuam ſomnolentiam, quæ tamen ſine periculo fuit, admoto pedibus ſale ammoniaco aceto & baccis juniperi diſcuſſa". Monet Boerhavius ut a nimis magno & nimis parvo impetu cavendum ſit, & ſi hoc ſymptoma contin-

gat in morbo moderato, potius naturæ permittendum, nam nunquam ſub hisce conditionibus ex illo damnum vidit.

Quando memoriæ jactura conſociationibus habitu fixis nocere pergit, inauſpicatum. Ita profecto, æger potum depoſtulat & poſtea oblato ſe poſtulaſſe obliviſcitur; quando amicos ignorat, cum ſtimulum ad ſe exonerandum perſentitur, ſed munditiæ ſenſum decorum negligit; caſus hicce, licet ægrotus ejusdem haud conſcius eſſet, eveniret: Sub caſu priore, æger conatus ſolitos facit; ſub poſteriore, ex eo debetur, quod ſphincter Ani relaxatur: Alter voluntarius: Alter involuntarius: Periculum magnum, & ſenſorii interpellationem, omnia demonſtrant. Nonnunquam tamen hæ læſionum potius cognomina merentur: Specimen ejusdem debilitatis cum æger, ad ſitis ſtimulum inſenſilis, quanquam cutis & os exareſcunt, guſtum amittit. Hoc, utcunque, ſiccitati nonnunquam debeatur. Poſtremo vero, cum omnia ſenſus organa, qualia viſus, auditusque, lucis ſonique, cæterorumque impreſſionibus haud afficiuntur: Exemplo viſus inſenſibilis conſueto, cum nubeculæ circa lectum & velamenta conſpiciuntur, & hæcce idola imaginaria captare enititur æger. Hæc Carphologia dicta. Hippocrates ait, "Si non videat, vel non audeat, jam debili exiſtente corpore; quicquid horum evenerit, mors proxima eſt."

Symptomata Debilitatis in Functionibus vitalibus, in Circulatione occupatis.

Deliquium animi in poſitura erecta, cum Cor ſanguinem ad caput impellere non valet; quod cerebrum excitationis diminutionem, vel ſanguinis ex eo derivationem ne quidem minutiſſimam, perpeti poſſe commonſtrat. Vertigo ſcotomia & aurium tinnitus, ſyncopes prænuncii, eandem indicant. Debilitas nec non inſignis, & haud raro lethifera, cum Cor ſanguinem ad vaſa extrema impellere nequit, enunciatur. Hinc partes extremæ, ſicut aures, naſus pedesque, ad tactum frigidæ, pertractantur. Sudores viſcidi frigidique cordis actionem inſigniter debilem, &

vaſorum per ſuperficiem diſperſorum laxitatem & paralyſin, edicunt. Proſper Alpinus ait, Frigidi quidem multi ex moribundis apparent, cum deſudationibus viriumque languore. Ex eadem cordis imbecillitate, vultus pallidus devenit, oculi collabuntur, vaſa rubra evaneſcunt; & jam metuendum ne ſtygias mox haureat undas æger, cum vultus & fortaſſe corpus univerſum palleſcit, labia livida fiunt; Oculi & tempora excavantur, frons prominet, naſus acutus fit, facies Hippocratica vulgo nuncupata.

Eandem cordis actionem vacillantem, pulſus imbecillis, irregularis, frequenſque denunciat, cum ſeſe penitus evacuare non valet, ſed impletum ad ſeſe contrahendum ſtatim incitatur. Hicce pulſus irritationem nec minus indigitat; comitantibus vero debilitatis ſignis ſupra memoratis, iisdem cauſis attribuendus. Pulſus hujusmodi in moribundis ut plurimum dominatur. Pulſus nec non tardus debilitatem, utcunque explicetur, oſtendit, ſymptomatis hujus comes, ad easdem cauſas omnino referendus.

Reſpiratio tenuis & crebra, præcipue dum movetur aut agitatur æger, diaphragmatis & musculorum reſpirationi famulantium, cum thoracem dilatare non valent, imbecillitatem pronunciat. In ſcorbuto, motus leviſſimi reſpirationem citatiorem inducunt. Cum musculi ſcapulis cæterisque partibus affixi in ſubſidium advocantur eorundem debilitas indicatur. Hæc etiam ulterius ex pinnarum narium contractione monſtratur; ſicut & ex ſuſpirio profundo, dum interea pulmonum affectio nulla topica ſeu congeſtio adeſt: Ecce autem circuitui pulmonum irritamentum, & anxietati levamen! in acutis affectionibus quæ cum febre ſunt, luctuoſæ reſpirationes, mala Hipp. *Vocis* imbecillitas organorum ejusdem; & musculorum in vocem efferendam adminiculantium, actionem debilem indicat; & hæc nonnunquam ad aphoniam pergit. Hippocrates ait, „ In vocis interruptione, ſpiritus, veluti iis qui ſuffocantur, rurſum ſcapulis redditus, malus".

Symptomata Debilitatis in Functionibus naturalibus Appetitus Excretionumque.

Hanc

Hanc indicant appetitus defectus, anorexia, nauſea, vomitusque! Poſterior, utcunque, ſpasmo attribui poſſet; ſed, comitantibus vertigine, ſcototmia, & deliquio, cæterisque, ad debilitatem, quæ ſpasmi effectus augebit, etiam referendus. Deglutitio difficilis ex musculorum eidem inſervientium debilitate & affectu paralytico coorta, nec non Ani veſicæque dejectiones involuntariæ, dum ſphincteres tenacem ſtringendi facultatem amittunt, interitum omnes interminantur. —— ſymptomata debilitatis, prout gradu tempore & conſenſu &c. ſimul occurrunt, periculum analogum enunciant.

Symptomata mortis certiora praebent imbecillitas & irritatio, ſeu debilitas & fluidorum putredo, de qua poſtea fuſius, una conjunctæ. Debilitatem & irritationem talia ſimul cooperantia indicant, ſcilicet: Debilitas magna, ad lucem ſonumque, præcipue ſub morbi acceſſum ingruentem ſenſibilitas adaucta; ſomni interpellatio, per plures dies noctesque perdurans: Inquietudo; de lecto ſurgendi deſiderium: Stragulas repellit æger, & floccos carpit: Motus convulſivus, dentium frendor, tendinum ſubſultus, delirium non ferox: Pulſus frequens; oculorum diſtorſio ruborque, qui vultum interea non afficit; quod arterias capitis internas præcipue affici oſtendit. Inflammatio cerebri, ſyſtemate ſanguifero in genere nondum affecto evenire poteſt, ut in Typho nonnunquam. Delirium phreneticum humili ſuperveniens, malum: Urina limpida delirium plerumque prægreditur.

Si in febre poſt magnas evacuationes, oritur convulſio fere lethalis Boerh. ut & quæ cum delirio perpetuo. priorem igitur viribus Sedantibus ſupra memoratis adjicias. Præcedunt eam plerumque, delirium, pervigilium, coma, Tendinum ſubſultus: Hippocrates dicit, Convulſio in febre nata eodem die deſinens, bonum; ſedat enim febrem eodem die, aut poſtero aut tertio. duratio autem hujus mali non *ſemper* eandem prognoſin dat, quanquam enim maximum diſcrimen adeſſe indicat; non ſemper tamen deſpe-

randum, & nonnunquam bona ſpes eſt ſi *diutius* continuatur, vid. Sydenh. Swiet. nam corporis vires validas eſſe indicat; & imprimis ſi cerebri functiones non admodum læduntur, ſed potius minuuntur, ut delirio, pervigilio detegitur, & vires vitales, ut pulſus, reſpiratio, adhuc bonæ ſunt. caſus a Cel. Swieten. memoratus hoc confirmat. Juvenis die ſexto febris ſubſultu tendinum corripiebatur, decimo quarto muſculi totius corporis convellebantur, ſuſtinuit tamen ad vigeſimum primum diem horrenda hæc mala, tumque ceſſaverunt, & evaſit hoc morbo.

In junoribus & mulieribus nonnullis delicatulis a levioribus cauſis convulſiones non raro accidunt, & in iis non tam periculoſæ ſunt. adultioribus raro & non niſi validæ cauſæ hujus mali acceſſerint. Swiet. Aret.

III. *Symptomata Virium Septicarum ſeu Putredinis.*

Febris putrida cum ordine exanthematum ſæpe conjungitur. Prout tempore præcedunt, uter morbus ſit idiopathicus, dijudicemus licet. In priore exacerbationes & remiſſiones dilucidius cernuntur.

Febris putrida, ſeu putrida maligna Huxhami, Febris petechialis vera Hoffm. Febris continua putrida Boerh. A miasmate & contagione ortum ducere videri poteſt. plures eodem tempore afficit, quod in locis miasmati vicinis vel in urbibus, Noſocomiis &c. facilius eveniet. vid. caus remot. Principio, ut plurimum, cum febris inflammatoriæ, ſub fine vero cum typhi ſymptomatibus, invadit. Utraque jam deſcripta. Nonnunquam vero robur & vires admodum ſubito proſternuntur. Sæpe mitem prima facie exhibent hæ febres indolem, Medicosque cum adſtantibus, ac ſi catarrhales tantum eſſent, decipiunt: difficulter ſanationem admittunt & brevi ſæpe plures jugulant. Ab initio ſtatim, docente Hoffmanno, ægri conqueri ſolent de virium ſumma proſtratione atque debilitate, erecti vix conſiſtere, vel pedibus incedere queant, ſed mox animo deficiant, quum in aliis & acutis morbis demum in ſtatu & vigore ejusmodi imbecillitas obſervatur

tur, caput ab initio valde dolet, fervet, cum torpore, animus cito dejicitur, anxius & ſollicitus eſt, ac ſalutis ſpem abjicit, peſſima quævis ominatur. Aſſiduæ urgent vigiliæ, nec ullus reficiens adeſt ſomnus, appetentia plane perit, faciei vigor intercidit, pulſus languidus parvus & inæqualis micat, decubitus in lecto inſolitus eſt, atque incompoſitus, membris quaſi convolutis & corpore huc & illuc jactitato, pectoris eſt oppreſſio, quandoque cum tuſſi ſicca, musculorum fibræ undulatorio quaſi & tremulo motu convelluntur, tendinesque contrahuntur atque ſubſultant. plures nec de ſiti nec æſtu, nec dolore, nec anxietate queruntur, & aſſeverant potius, nihil mali ſe perſentire, præter languorem & ſomni defectum, Urina primum mingitur utplurimum tenuis, ſanorum ſimillima: quarto, vel etiam ſeptimo die in conſpectum prodeunt maculæ, in dorſo potiſſimum & lumbis pectore etiam: plus minus copioſæ, varii ſubinde coloris, plerumque tamen ſine levamine, ideoque non cutanea excretione, ſed vel ſudoribus largis, fætidum acorem ſpirantibus, vel alvi fluxibus criticis, convaleſcunt; ſed non niſi naturæ benignitate ac robore id accidit in his: viciſſim autem nihil pernicioſius eſt diarrhœa gravi ſtatim inter initia, vel alvi fluxu critico cohibito. Rarius ſolo ſudore & hæmorhagia, ſed frequentius per diarrhœam ſeptimo, nono, aut undecimo die erumpentem ſolutos fuiſſe hos morbos aſſerit Hoffmannus. Salubritatem ipſius etiam laudant Hipp. Galenus, Columba, Bonnetus, Riverius: Valleriola, Schenckius &c. in peſſimis ſignis ſunt ſudores ab initio & per totum morbum effuſius manantes. Funeſtum eventum ſigna præſagiunt hæc: ſi ſitis vel nulla, vel plane inextinguibilis, ſi lingua arida, diſciſſa, nigricans, fauces inflammatæ & ſqualore obſeſſæ, cum deglutione difficili, ſi poſt exanthematum eruptionem reſpiratio anheloſa & pectoris anguſtia perſiſtit & invaleſcit, vel poſt ſudorem & alvi fluxum, delirium cum aliis pathematibus ingraveſcit, nec urina turbida fit, nec ſedimentum ponit; ſi demum oculi ob-

ſcurantur, mens plane delira ſit, ægri floccos carpunt, tendines ſubſultant, excrementa involuntarie elabuntur, ſudor frigidus manat & convulſiones accidunt, ſpiritum cum vita præcludentes., Hoffman.

Symptomata hæcce putrida in primis viis, in ſanguine, & in excretionibus, ſeſe produnt; nempe, nauſea ſitisque inexſtinguibilis; in guſtu ſpirituque fœtor; excretiones nidoroſæ & rancidæ; cibi animalis faſtidium, & acidorum appetentia; os & lingua nigra & ſqualida; urina turbida, lutulenta, adinſtar carnium loturæ; dejectiones ſolutæ fœtidæque; ſanguis diſſolutus, per varias partes, per Anum, urinam, gingivas, texturam ſub cute cellularem, erumpit, exinde petechiæ; ex partibus veſicatis humor fœtidus effluit; cadavera olent ſudores.

Nauſea ſitis & acidorum appetentia: Hæ, ſicut & guſtus fœtidus, materiem putridam in ventriculo primisque viis, in ſpiritu vero fœtor, putredinem, adhuc magis univerſalem, oſtendunt. Dejectiones frequentes, ſolutæ, fœtidæque: Hæ ex bile cæterisque in primis viis ſtagnantibus proveniunt. Sanguis diſſolutus in ſanguine extracto demonſtratur: Cum ſerum & craſſamentum non ſegregantur; cum partes coagulabiles indolem, qua ſe concretas ſervare ſolebant, amiſerunt; quinetiam quamvis formetur coagulum, ſi ſerum rubicundum flavumque circumfunditur, putredo tamen denunciatur. Coaguli ſeu concretionis laxitas, præcipue ſi globuli rubri in ſero facile ſeſe diffundunt, eandem indicabit. Hæc ſanguinis ſolutio, cum vaſorum laxitate connexa, hæmorrhagiis & effuſionibus, ex variis partibus, quales per urinam rubram, per effuſiones ex gingivis, naſo, oculis, cute, cæterisque, cauſam præbet. Iisdem ex cauſis, vomitus & dejectiones ſanguineæ, per moram in inteſtinis, haud raro nigræ & grumoſæ: Atra bilis ab antiquis dicta. Hippocrates eam omen mortale pronunciat. Hinc etiam effuſiones in membranam cellularem paſſim, in viſceribus internis ſphacelum, ſub

cute

cute petechias, maculas, & vibices, formantes; quo majores & copioſiores apparent, eo plus periculi & corruptionis arguunt. Hoffman. raro evadunt ægri: Superficiei flavedo, cum icteri, ſeu bilis abſorptæ, ſymptomata deſunt, partis in ſanguine ſeroſæ putredinem indicat. Partes veſicatæ humorem fœtidum effundentes, & ſudores cadavera olentes: Hæc mortem appropinquare portendunt. Huic fortaſſe ſuperſtitionis vulgaris origo debetur: Corvos, ſcilicet, & Picas, volucres olfactu acutiſſimas, domicilium in qua cubat æger circumvolitantes & infeſtantes, ſignum lethiferum denunciare.

Si cerebri inflammatio cum imbecillitate magna & putredine viribus ſimul ingruunt, ſepulchralia parantur; mors enim ultima linea rerum januam nunc pulſat.

Hi ſtatus terni, ut antea annotavi, quamvis unumquemque ut res ſineret ſeorſum tractavimus, nihilominus omnes ſimul haud raro conſpirant & in eadem febre inveniuntur; ubi etiam eos promiſcue tractare neceſſe fuit cauſas tamen diverſas facile dignoſcas. Eventus igitur febrium ex ſymptomatum numero majore vel minore, gradu, conſenſu, ſucceſſione: duratione, tempore quo apparent, ægri varia conſtitutione, ætate, ex omni denique auxilio quo medicina ut hodie excolitur ſuppeditat, omnibus accurato ſcruticinio & cauta ratiocinatione perpenſis, repetendus. & equidem ſumma prudentia opus ſit videre, an agere debemus, & quid agendum ſit. Ex dictis, ad ordinandam medendi methodum, fundamen conſtruitur; & ad febrium ætatis recentioris genera tria, nempe, Inflammatoriam, Nervoſam, putridamque, accommodatur. Et plurima remedia, ex ſyſtematicis optimis adhibita, ad haſce indicationes ternas compendioſe redigi queant; ſcilicet, Virium Stimulantium, Sedantium, & Septicarum exceſſui obviam ire.

Naturæ phænomena infinita ſunt: Memoria vero terminis admodum circumſcripta. Rei factæ ſingularis notitia, ſi aliis haud alligatam ſpectemus, ad eruditionem

non

non multum auxilii miniſtraret. Philoſophiæ veræ negotium eſt, res factas, & haſce naturæ leges detegere, accurate conferre, in ordinem conſimiles digerere, nexus indagare; dehinc ad leges certas generales atque principia redigere, quæ res factas ſingulas complures ſub ſeſe complectuntur.

CRISIS FEBRIUM.

Diligenter incubuimus, ut oſtenderemus, febres ex paroxiſmis repetitis conſtare. Hippocrates ait, „ Quibus criſis fit, iis nox gravis ante acceſſionem; quæ vero ſubſequitur, magna ex parte levior fit": Et nunc univerſim fere conceditur, ſalutis & mortis eventum ſub hisce acceſſionibus ſeu periodis evenire. Comprobant idem Galenus, Ætius &c. talibus monentes „ Criſes fiunt illo morbi tempore, quando morbus in ſtatu, i. e. in apice ſui incrementi conſtituitur, & collectis viribus æquo quaſi marte dimicat cum illis quæ in ægro de ſanitate ſuperſunt, donec victrix natura morbum ſuperat, vel victa morbo ſuccumbat: prior bona criſis, poſterior mala dicitur, imperfecta dicitur cum non integre de morbo triumphat natura." Hic vigor ſeu ſtatus nonnunquam in unum vel alterum diem vel longius non raro extenditur. Galenus voluit nullum eſſe periculum poſt morbi ſtatum, in hoc tamen peccatur: notat præterea quod absque criſi ſæpenumero mors ſequitur: ex nimia imbecillitate ut in malignis &c. eveniat. Dies critici ab Hippocrate notati, 3. vel 4, 5. 7. 9. 11. 14. 17. 20. &c. In regionibus calidioribus, quam in frigidioribus, criſes magis perfectæ & conſpicuæ.

Symptomata criſeos: Sudoris gradus quidam, non violentus; „ febricitante ſudor ſuperveniens, febre non remittente malum, prolongatur enim morbus. Hipp. ſudores autem diebus criticis morbos judicant ſcil criſin efficiunt. „ Idem: calor per totum corpus æqualiter diffuſus; ſomnus nonnullus naturalis, placidus, pulſus remiſſus,

ad tramitem conſuetum propius vergens, mollior & ſedatior; delirii ceſſatio: Cruſtulæ e lingua decidunt; appetitus redit: Alvus reſpondet. Urinæ mutatio, ſi febris inflammatoria fuit, & urina antea coloris rubrioris, & quieſcens nubeculam viscidam demittit, nunc vero ſi pellucida fit, & nubeculam tenuem deponit, bonum. Urina craſſior facile ſedimentum deponens, bonum: Urina ſi ſedimentum lateritium, colore carneo, cineribus rubris ſimile demittit, fauſtum: Furfuracea & ſquamoſa ſolutionem imperfectam indicat. „ Judicatoria non judicantia, mala ”.

Tandem vero reſpiro, in nimis longum enim ſermo trahitur, accidit invito & contranitenti, ſed multa dicere ſpatium requiritur; non paucæ proculdubio mendæ forſan errores irrepſerunt; qui propter temporis inopiam, operis difficultatem, & ingenii curtam ſupellectilem evitare non potui: hos utcunque lector benevole æqui bonique conſulas; & vos præcipue nobiliſſimæ facultatis medicinæ Lugduni profeſſores doctiſſimi, cæptis juvenilibus favete, & optatis fruar. Adjiciendi, expungendi, reſcindendi ſat locus eſt, ut mihi ipſi bene cognitum; longius autem in opere adoleſcere multa vetant, & in arca per annos nonos ſervare infelix non poſſum; ad finem igitur perduco, & cum Ovidio ex animo dicam:

Dum relego ſcripſiſſe pudet, quia plurima cerno
Memet, qui ſcripſi judice digna lini.

F I N I S.